

AB

42 $\frac{8}{2, 14}$

007

alt. Nr. 475.

1) Beza, Th.


2) Cogelensis, J., (3 parts)


Aug. 10. 2

U. VII. 8h.

Die Holzschritte zu 2) werden
Hans Prossamer zugeordnet







SECUNDA

PARS

IMAGINVM,
QVAE CONTINENT

PVLCERRIMA SIMVLA-
era uirtutum, quæ magnum usum habent
in omni genere studiorum, collectæ
summa diligentia & fide,

A
IOHANNE COGELERO,
uerbi diuini Ministro Stetini
in Pomerania.



VITEBERGÆ
ANNO M. D. LXIIII.

SECONDO

IMAGINVM

QVAE CONTINENT

REPERIANTUR

IN MUSEO

CAESARIS

ALBERTI

PRINCIPIS

SAESARIS

ALBERTI

PRINCIPIS

SAESARIS



VITRARI

ANNO



INGENVIS, MO-
DESTIS, AC OPTIMAE
SPEI PVERIS, BENEDICTO ET
Michaëli, clarissimi & grauiſſimi uiri, uir-
tute, doctrina & eloquentia præſtan-
tis, D. Doctoris Michaëlis Teu-
beri &c. filijs, S. P. D.



NON DVBIUM EST,
multa pulcherrima uesti-
gia diuinæ præſentiæ, ac
ſimulacra non obſcura
uirtutum ac uitiorum, cre-
aturis impreſſa eſſe ab omnium rerū
opifice. Rectē enim Poëta optimus
inquit: Præſentemq; refert, quælibet
herba Deum. Quare cum hoc ita ſit,
ſtulti hominis eſſet illa ignorare, ingra-
ti contemnere, impij uerò petulanter
prouidentiam Dei negare. Quis non
uidet in ipsis apibus ſpeculū eſſe mul-
tarum ſaluberrimarū rerum? Primum
habent rempub; optimē conſtitutam,
cui Rex tanquam ſummus Imperator
præſidet: cui etiam ſubditi obediunt.
Sic necesse eſt in hac præſertim deli-
rante ſeneſta mundi, ut aliqui, doctrinæ
A 2 na, prus

EPISTOLA

na, prudentia, consilio & autoritate
 præstantes, ad gubernacula rerumpu-
 blicarum sedeant. II. Refert Plinius,
 apes bella gerere, & acriter cum hoste
 dimicare: Sic illi, quibus sublimior po-
 testas est: scient sibi cum multis Eccle-
 siæ hostibus fortiter pugnandum esse,
 & pro aris atq; focis. III. Refert eti-
 am Plinius, apum regē sepè intus cir-
 cumire, omniaq; diligenter inspicere,
 hortari ad labores, & sua præsentia o-
 pus fideliter iuuare. Sic ordinis po-
 litici officium est, inspicere Ecclesiam,
 & non in utramq; aurem dormire in
 administratione reipublice. IIII. Tra-
 dit etiam Plinius, apum regem maxi-
 mam exercere clementiam, nec effer-
 re se, nec aculeo eum uti: Sic guberna-
 tores iudicent nihil pulcrius esse cle-
 mentia & animi moderatione. V. Re-
 fert Aristoteles, maximam esse apum
 obedientiam erga suum regem, quem
 magnificiunt, amant, colunt: Sic sub-
 diti Magistratum tanquam Dei ordi-
 nationem piè agnoscere debent, ac
 eius

DEDICATORIA.

eius uoci reuerenter obedire. VI. Magna est etiam harum bestiolarum gratitudo erga regem: Hunc enim senectute oppressum, humeris in aëre subleuant, & ut Plinius ait, defatigatum ex toro portant. Est insignis pictura gratitudinis. Videmus autem hanc uirtutem penitus extinctam ac sepultam esse. VII. Præterea, sicuti apes nascuntur ex bobus maectatis: ita ex Christo mortuo & in cruce maectato nascitur uera Ecclesia, & ex eo solo uitam habet. VIII. Et sicuti apes tempore æstatis laborant ad uitæ usum, ut tempore hiemis uitæ præsidia habeant; ita Ecclesia in hac lacrimarum ualile omnibus telis calamitatum est exposita, sed cogitat, restare aliam uitam, ubi erit portus & finis omnium malorum. IX. Refert Aristoteles, apes nullis sordidis cibis adhærere, nec alio delectari quam dulci: bibere etiam aquam in ijs locis, unde fontes clarissimi scaturiunt: Sic Ecclesia utitur dulcissimo uerbi diuini cibo ac potu, non

A 3 quærit

EPISTOLA

quærit fontes sordidos. X. E contra ut
 apes absynthium & alias herbas ama-
 ras tanquam uenenum fugiunt: Ita Ec-
 clesia fugit impias opiniones, quæ uer-
 bum Dei deprauant & sceleratè cor-
 rumpunt. XI. Et quemadmodum
 apes in ijs locis nunquam commoran-
 tur, qui unguenta olent, & ut Varro
 dicit, grauius eos pungunt, qui has un-
 cti accedunt. Ita & Ecclesia ea loca cir-
 cumspectè fugit, quæ impijs ritibus ac
 doctrinis scatent, pungit omnes un-
 ctos accedentes, hoc est, præ se feren-
 tes maximam uitæ sanctitatem, qua
 cœlestes ciues fieri & manere non
 erubescunt. XII. Refert & Aristote-
 les, apibus alas semel auulsas, nunquã
 subnasci, & detracto aculeo eas pror-
 sus extingui. Sic & in imperijs, quan-
 do honestarum legum maiestas, uir-
 tutum splendor, & iusticiæ autoritas
 opprimitur: ibi miserrimam aut potius
 nullam rempub: esse necesse est. Sic
 fit etiam, cum Ecclesia suis alis priuata
 est, quibus aliàs usq; in cœlum trans-
 uolat,

DEDICATORIA.

uolat, loquitur cum Deo &c. Et ut
 apes amisso aculeo uitam amittunt, Ita
 Ecclesiam extingui necesse est, amissa
 Euangelij uoce, fide & alijs donis spi-
 ritus sancti, quibus alioqui Diabolum
 pungit, & ei fortiter resistit. XII. Fe-
 runt & apes miserè ægrotare, cum ex
 sylua flores eruginosos domum aspor-
 tarunt, & temporibus siccis; Sic Eccle-
 sia tristissimo morbo miserè affligitur,
 ubi doctrina cœlestis corrupta propo-
 nitur. In siccis etiã temporib, grauius
 decumbunt, hoc est, quando Ecclesia
 humanis præsijs est destituta, sine
 certis uagatur sedibus, magnum &
 intestinum dolorem concipit; sed tan-
 dem se dulci Euangelij rore recreat.
 XIII. Sicuti apes sono et tinnitu de-
 lectantur ac retinentur; Ita uera Eccle-
 sia ardenter amat dulcissimum sonum
 uerbi & Spiritus sancti; quemadmo-
 dum Christus inquit Iohan. 14. Qui
 diligit me, sermonem meum seruabit
 &c. XV. Nascitur & in alueis uermis
 culus aranæ similis, qui κληρὸς ἢ πύ-
 A 4 ραυσις

EPISTOLA

p^{er}u^{er}sus appellatur. Hic, ut Aristoteles
 testatur, fauis admodum nocet, & facit
 ut examen ægrotet; Sic in Ecclesiæ
 alueo hostis acerrimus generis hu-
 mani diabolus, semper uult p^{er}is homi-
 nibus cohabitare, extruit ibi sua ope-
 ra, ut salutaria exercitia, & honestas
 artes impediatur. XVI, Scribit etiam
 Aristoteles, Rubetam apibus admo-
 dum esse inimicam, subire eam aluei
 aditus, & prouolantes apes rapere ac
 deuorare; Et hanc Rubetam ab apibus
 nullo modo posse lædi, sed ab apibus
 ario facilè interfici; Sic & Ecclesia
 Dei habet hostes acerrimos, Diabolum
 & Tyrannos, qui irruunt in eam
 & hanc aut igni aut ferro funditus de-
 lere uolunt. XVII, Est & apibus, cum
 Vespis & fucis magna pugna, qui non
 modò non adiuuant opus; sed & mel
 consumunt & pungunt; Sic & perpetua
 est Ecclesiæ pugna cum multis, qui
 Ecclesiæ bona decoquunt & omnia
 exhauriunt, nec ulla in re Ecclesiæ
 nec scholis seruiunt, XVIII, Refert
 Colus

DEDICATORIA.

Columella, apiarium æstatis tempore
sæpè alueos inspicere, fumigare eos, &
à fordibus ac omni immunditia eos
purgare, eijcere tineas & Vespas, quæ
similitudinem apis habent; Ita Filius
Dei, uerus Ecclesiæ apiarius, inspicit
Ecclesiam, & dat dona hominibus, sa-
lutares doctores, efficit ut nidum ha-
beant, colligant flores & mel confici-
ant, dat Ecclesiæ uocem Euangelij: dat
incrementum. XIX. Narrat Plinius,
apes socias uita defunctas ex alueo
educere, & in funus prodire: rege eti-
am extincto plebem lugere ignauo
dolore; non conuehere cibos, & tristi-
tantum murmure glomerare circa
corpus eius. Sic omnino est pietas, ho-
minibus, qui ex hac uita mortali de-
cesserunt, hunc ultimum laborem &
officium præstare. XX. Postremò, si-
cuti tēpore nocturno apes dormiunt,
donec una triplici bōbo mane omnes
excitat, ut singulæ ad opus prouolent:
Ita & Filius Dei, Dominus noster Ie-
sus Christus in extremo die de cœlo
A 5 descens

EPISTOLA

descendet, & omnes, qui in sepulcris
 dormiunt, tuba cœlesti & uoce Ar-
 changeli excitabit ad hoc opus, & ad
 ea exercitia, ad quæ omnes homines
 sunt conditi. Hic uidemus magnum
 aceruum pulcerrimarum uirtutum, &
 commonefactionem de rebus maxi-
 mis nobis in hac bestiola proponi, ita
 ut non immerito quoties apes inspe-
 xeris, tales dulcissimas cogitationes de
 his rebus piè & sobriè suscipias. Non
 dicam nunc uaria diuinæ sapientiæ tes-
 timonia & simulacra uirtutum in hu-
 mani corporis fabrica contineri; sicuti
 hac de re elegans extat Oratio, anno
 1553. Vuitebergæ à quodam docto
 & honesto uiro edita. Deinde insignes
 imagines in luminibus uerborum
 nobis proponuntur, quibus utitur
 diuus Paulus. Quando describit boni
 Episcopi officium & uirtutes, inquit
 illum debere rectè secare uerbum
 Dei. Utitur autem ὀρθοτομῆν, quod uer-
 bum sumtum est ab officio sacerdo-
 tum, qui secabant hostiarum membra.
 Nec

DEDICATORIA.

Nec, n. licebat temere partiri, ut cuiq̃
uidebatur, sed Deus aliqua membra
abijci, alia sibi inflammari, alia attri-
bui sacerdotibus uoluit, Quæ distribu-
tio multa arcana de Dei uoluntate mo-
net. Adipem & caudam sibi Deus in-
flammati iussit, sacerdotibus uerò at-
tribuit pectus & humeros. Nam hæ
partes cum maximè carnosæ sint, data
sunt uescendæ sacerdotibus, qui simul
commonefiebant, se pectus esse po-
puli & baiulos, Nam boni doctores et
consilio regunt populum, & præcipu-
am molem curarum & dolorum in
tota gubernatione sustinent, & sum-
mum Sacerdotem Filium Dei mente
intuentur, quem sciunt præcipuum
pectus & humerum esse uniuersæ Ec-
clesiæ. Hic pro nobis sustinet tristissi-
mas pœnas, placat iram Patris; hic sup-
peditat cōsiliū. Adeps uerò & cauda
cremebantur Deo, ut significaretur,
iudicio Dei hanc miseram mortalium
naturam, subiectam esse morti & in-
gentibus ærumnis; sed naturam rur-
sus

EPISTOLA

sus restitui. Deinde non fingamus
 nos ad delicias nasci, non regna, non
 tyrannidem, non gloriam, non homi-
 num plausus et uoluptates in ministe-
 rio quæramus; sed omnia sunt ad huc
 finem referenda, ut Deus celebretur.
 Ut autem hostiæ certo modo secan-
 dæ erant; ita certa ratione cœlestes sen-
 tentiæ distribuendæ sunt. Sic etiam
 utitur insigni uoce in 2. ad Timothe-
 um capite 1. cùm inquit: Custodi præ-
 clarum depositum per Spiritum san-
 ctum, nam sicuti non solum aliquis ra-
 tionem reddere cogitur de illis bonis,
 quæ ipsi tradita sunt, adeo ut cogatur
 ad restitutionem, si bona sint amissa
 uel dilapidata; sed simul etiam reddi-
 tur infamis. Sic omnes ad tribunal Ie-
 su Christi congregati, rationem reddi-
 turi sunt, de illo nobilissimo deposito,
 quod nobis in Baptismo & in uerbi
 prædicatione est traditum. Ac premia
 quidem Deus æternus Pater Domini
 nostri Iesu Christi daturus est ijs, qui
 summa cum fide & diligentia hoc de-
 positum

DEDICATORIA.

positum omni patrimonio præstantius obseruarunt. Alios uerò, qui hoc κειμήλιον aut neglexerunt, aut corruperunt, in eas pœnas abiecturum, quas tanti sceleris atrocitas meretur. Sed hæc oratio lōgius est progressa quam putaram, ideo uela contrahere cogor. Et quia ante aliquot annos Libellum continentem mediocrem aceruum imaginum in lucem edidi, & non dubito hunc laborem, qui nocet nemini, placuisse multis, præsertim ijs, qui candidè iudicant, & non omnia arrodunt, nihilq; putant esse rectum, nisi quod ipsi dicunt faciunt'ue: Nunc secundam partem subnectere non dubitauì. Vobis autem pueris hunc libellum dedico, & sub nominis uestri inscriptione diuulgo. Nam cum non obscure explorauì, uestro parenti, uiro grauissimo, & de Ecclesia, scholis atq; repub. præclarè merito, primam partem Imaginum non displicere, illumque de hoc labore & omnium bonorum hominum, candidè, pie & rectè

cte

EPISTOLA

cte sentire, hoc munusculo meam benevolentiam erga ipsum & totam familiam aliqua ex parte, si non declarare prorsus; tamen ostendere uolui. Nec solum hoc, sed uobis optimi pueri calcaria addere cupio, ut hæc sancta, recta & munda uestigia parentis uiri integerrimi persequi non dubitetis, de cuius uirtute & ornamento, plura dicere modestiæ decus prohibet. Quare uos oro uehementer, ut hunc libellum, tanquam testimonium amoris mei erga uos, hilari fronte suscipiatis, & mecum simul ardentibus uotis precemini:

*Quantus erat dolor in Cananea matre puella,
 Cuius mens furijs exagitata fuit.
 In tanto nunc est Ecclesia mœsta dolore,
 Doctorum furias cum uidet, atq; ducum.
 Sed tu gnate Dei gemitus audito precantum,
 Nulla uenit nobis, te nisi dante salus.
 Tu procul à nobis seuos depelle furores,
 Et sanes uerbo pectora nostra tuo.
 Quamuis ira tui nos urget iusta parentis,
 Et sumus ut turpes, nos rea turba, canes.*

Attamen

DEDICATORIA.

*Attamen ut timidè sub mensa captat herili,
Esuriens modicas parua catella dapes:
Sic cum dira fames nostros absumserit artus,
De mensa petimus pabula Christe tua.
Cum nostram indueris mirando foedere massam
Gnate Dei, semper nos tua membra geras.*

Has preces magnum pondus apud
Deum habituras esse, nō dubitabitis.
Postremō pijs & sobrijs precibus pa-
rentes uestros carissimos quotidie
Deo omnipotenti commendabitis,
ut diu sint florentes & incolumes,
non solum ut uos feliciter educent;
sed radios beneficentiæ latius in alios
spargant. Valete optimi pueri quam
rectissimè. Datae Stetini, anno 1564.
VI. die Februarij, quo die Henricus
Dux Megalburgensis Suerini obiit,
Anno Christi 1552. Aetatis anno 73.

Johannes Cogelerus,
uerbi diuini minister
Stetini.

DEI PATRI

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



IMAGINES.



LEX DEI, QUÆ EST DO-
ctrina ab ipso DEO tradita &
scripta, primùm in corda om-
nium hominum in prima crea-
tione, Deinde in Tabulas lapi-
deas, in monte Sinai, quæ præcipit, ut om-
nes homines aut cum hac norma sapientiæ
& iusticiæ diuinæ perfectè congruant, aut
non congruentes, in æternas pœnas abiici-
antur.

I. IMAGO.

Nostra corda debebant esse Tabulæ le-
gis,

I M A G I N E S.

gis, in quibus non modò noticia legis, uerumetiam obedientia perfecta luceret. Verùm lapideæ tabulæ significabant, corda hominum esse Caucaſi rupib. duriora, quæ nec Dei lege ad ueram pietatem & obedientiam ſectantur, nec iram Dei & pœnas, quæ uoce legis denunciantur, magnopere curent, ſed in perpetua ſecuritate & ſtupore uiuant. Opponunt autem Prophetæ tabulis & cordibus lapideis cor carneum, id eſt, tractabile & obediens legi diuinæ. Ezech. 36. 2. Corinth. 3.

I I.

Tabulæ Decalogi fractæ, ſignificant, legem Dei à natura humana non ſeruari integram: ſed uiolari. Ideoq; homines non iuſtificari operibus legis, ut Rom. 8. dicitur: Legi Dei non obtemperat, ac ne quidem poteſt obtemperare. Simul ſignificatum eſt, quòd propter idolatriam ille populus ſit amiſſurus Legem & Politiam.

I I I.

Requirit autem Lex, uerum timorem Dei, fidem, ac dilectionem. De timore Dei Imago. Sacræ literæ uaticinantur de regno Gog & Magog: Me autem & Turcicæ gentis origo

I M A G I N E S.



origo & professio, & magnitudo successu-
um mouent, ut existimem hoc ipsum re-
gnum Turcicum significari. Cū igitur
constet, Turcicam professionem pugnare
cum Euangelio, cum arma gerant hanc ip-
sam ob causam præcipuè, ut deleant nomen
CHRISTI, ut uastitatem in Ecclesia effici-
ant, Sicut Prophetæ de Gog & Magog præ-
dixerunt, execrari Turcicum regnum om-
nes p̄i debent. Principes uerò Christiani
nominis ad propulsandam illam pestem, o-
nia consilia, & omnes uires conferre debe-
bant. Ecclesia contaminata multis uicijs,
B 2 impijs

I M A G I N E S.

Impijs cultibus, & alijs peccatis toto orbe terrarum dat pœnas. Hæc causa est, cur tantî fuerunt successus Turcicæ gentis. Sed uereor olim hanc nationem & reliquas uicinas, daturas esse pœnas, cùm reliquorum uiciorum, tùm uerò etiam negligentia, quod hostem summa crudelitate in uicinia, et ferè ob oculos grassantem, & exercentem fœdissimum latrocinium non arcemus.

I I I I.

Magna miseria est, hominem lacerari à bestijs in circo, aut in frustra à licitoribus concidi, sicut Turcici tyranni consueuerunt post uictorias è captiuorum numero, nunc pluribus nunc paucioribus in conspectum suum adductis, edicere, in frustra uti concidantur. Sed hæ corporum lacerationes nequaquam conferendæ sunt cum sagittis & manu Dei. Nam uulnerari sagittis è pharetra Dei depromtis, & premi manu Dei, est sentire summum gradum dolorum, uidelicet consternationem horrendam & ineffabilem, ortam à conspectu iræ Dei, quæ totius naturæ uires uelut incendium absumit, & luctari cum tentatione de abiectioe, id est, uenire in eam cogitationem, quasi à Deo desertus, & in perpetuum abiectus sis. Singularis
Empha.

I M A G I N E S.

Emphasis est in pronomibus in Psalmis:
Sagittæ tuæ, Manus tua &c.

V.

In Psalmo 73 habemus non obscuram imaginem illorum, qui omnem timorem Dei abiecerunt, qui posuerunt in cœlum os suum, & lingua ipsorum ambulabat in terra. Extant autem huius descriptionis exempla in Aiace & Timotheo filio Cononis. Cùm enim pater Telamo filium Aiacem profecturum ad Troiam hortatus esset, ut adiutore Deo res magnas gereret, Ajax superbè respondit, Ignavis & timidis opus esse auxilio Dei, se uerò sine ope diuina uincere posse. Timotheus dux Atticus re feliciter gesta gloriabundus in concione dixit: Hæc ego feci, non fortuna. Plena est omnis uita talium sermonum, sed nunc breuitatis causa his exemplis contentus sum, quæ non obscuræ declarant impios fauore fortunæ ita efferrî, ut non dubitent totum genus humanum despiciere, & sibi iudicium ac censuram sumere de religione rebusq; diuinis.

V I.

Etsi autem hostium uis est magna & im-

B 3 manis:

I M A G I N E S.

manis: tamen illa nos consolatio potest & debet sustentare, illorum conatus esse sæpè uanos & irritos, qua de re habemus tam pulcram imaginem in Psalmo 58. ut pulcrior esse non possit. In alijs Psalmis comparantur Impij & eorum conatus, paleis inanibus, quæ à uento iactantur, item scorix & fœno nascenti in rectis, quod, antequam euellatur, flaccessit. His uenustissimis luminibus figurarum adiungantur quinque imagines hoc loco recitatæ, quarum prima conatus hostium comparat aquæ congelatæ, quæ etsi aliquandiu gestat magnas moles, & uidetur perpetuò duratura esse: tamen paulò post liquefacta à sole, aut à Zephyro, rursus diffluit. Secunda confert impiorum machinationes telo, quod aut frangitur unà cum arcu, aut à scopo, quem petit, aberrat. Tertia pingit imaginem cochleæ prodeuntis ex sua testula, & minitantis uiatori aliquid mali. Sed hæc non itaò mult post in aquam resoluta, domicilium habitatori destituit. Quarta proponit imaginem ἐκτρώματος, id est, massæ immaturæ & abortu editæ. Vt enim hæc misera massa uterum quidem inflat: sed maturitatem non consequitur: Sic impiorum contentiones in medio spacio franguntur. Postrema *πυρροῦ* conferr

I M A G I N E S.

confert impiorum doctos dolos & facetas fabricas teneris spinis, quæ à uiatore extirpantur, priusquam ad maturitatem perueniunt. Cùm autem uox Ebræa Sir utrumque significet, spinam uidelicet & ollam, potest etiam hoc sensu imago intelligi: antequam ollæ uestre sentiant uim flammæ, carnes adhuc crudæ, unà cum ollis euertentur. Iam cogita qualis orator sit Spiritus sanctus, quamq̃ illustribus uerbis nos doceat & consoletur, ne prima specie furoris hostium frangamur & debilemur: sed in silentio & spe expectemus conseruationem totius corporis, etiamsi certo consilio DEI aliqua membra lacerantur.

Nunc de Fide aliquot Imagines
subijciam.



B 4 David

I M A G I N E S .



I.

David inquit in Psalmo 13. Verba Dei, uerba pura, sicut argentum igne examinatum in uase testaceo, purgatum septies. Ut enim plumbo in igne euanescente, argentum manet, & quò sæpius excoquitur, eò fit purius : Sic in tentatione euanescent humanæ traditiones, nec possunt animum efficaciter consolari. At Fides quæ uerbo Dei nititur, est uictrix pauorum & dubitationum.

II.

Ut enim Elephanti murem, Leones gal-
linaceo.

I M A G I N E S.

linaceorum cristas & cantum timent : Sic aduersarius noster maximè metuit infirmæ fidei inenarrabiles gemitus & suspiria. Sed profundiores sunt cogitationes & consilia Dei in creatione rerum, & in colligenda Ecclesia, quàm ut ab humana mente concipi possint.

I I I.

D. Doctoris Iohannis Bugenhagij Pomerani imago. Annulum amamus propter gemmam, & magnificimus. Sic fide iustificamur, non propter ipsum annulum, id est, qualitatem, sed quod fide accipiamus hanc gemmam, id est, filium Dei mediatorem. Item simile argumentum. Sponsus accipit annulum à sponsa, non quòd tantopere amet annulum: sed quia est pignus & arrabo copulationis.

I I I I.

Reuerendus D. Doctor MARTINVS LUTHERVS sanctæ memoriæ: ita solebat Templum Hierosolymitanum depingere: Primùm occurrebat atrium, ubi mactabantur pecora: Deinde altare, ubi Sacerdotes sacrificabant. Postremò in intimo aditu situm erat Sanctum Sanctorum: cuius effigiem quandam refert, quod nos chorum appellamus,

B 5 mus,

I M A G I N E S.

mus, in quod introibat Summus Sacerdos semel in anno. Sic dicebat triplicem esse iusticiam. Atrium significabat ceremonialem iusticiam. Altare iusticiam moralem. Sanctum sanctorum, iusticiam fidei. Imago est bona.

V.

In Psalmo 19. sunt tres insignes imagines, quæ Christum pulcerrimè depingunt, ubi nominatur Sol, sponsus & gigas. Primò, sicuti Sol luce sua mundum uniuersum illustrat: Ita filius Dei sua bona omnibus offert, modò ut ea accipiant grati, nec impiè repudient. Deinde: ut Sol est fons uitalis potentiae: sic Christus dat credentibus uitam æternam. Tertio: quemadmodum Sol oriens omnes astrorum ignes obscurat: Ita iusticia fidei, quæ nobis propter Christum imputatur, gloriæ operum tenebras, & quasi noctem quandam offundit. Quarto: ut Sol, cum in meridie est altissimus, maximos calores excitat: Ita Christi puram & incorruptam professionem crux comitatur. Quintò: ut Sol splendore suo nubes & nebulas dissipat: Sic filius Dei sedens ad dexteram Patris, uictor est tyrannorum & hæreticorum. Sextò: ut Sol in bruma, cum longissimè à uertice distat, terris est proximus: ita
filius

IMAGINES.

filius Dei in ærumnis maximè pijs adest,
eisc̃p̃ opem fert & salutem.

VI.

Vt sponsus uero amore ardet erga sponsam: Ita est in Christo uerus amor, non simulatus erga Ecclesiam. Secundo, ut sponsus solam sponsam amat, nec uagatur extra cōiugij metas: Ita Christus solam Ecclesiam Euangelij amplectentem diligit, non diligit alias sectas. Tertio, ut sponsus sua bona liberali pectore sponsæ communicat: Ita Christus suam iusticiam & uitam largitur Ecclesiæ, & deriuat in se ærumnas Ecclesiæ, fit uictima pro peccatis nostris. Quarto, ut sponsus est defendere sponsam: ita Christus perpetuò defendit suam Ecclesiam, reprimens Diabolos, tyrannos & hæreticos. Quinto, Christus dat uerbum & Spiritum sanctum, quo subinde noua membra Ecclesiæ generantur, quod fit ministerio Ecclesiæ. Igitur diuus Paulus non temerè dixit. Coniugium est magnum mysterium.

VII.

Nominatur & gigas, qui letus suum cursum conficit. Non autem est dubium, Dauidem respexisse in Genesin, ubi Messias appellatur

I M A G I N E S.

pellatur Schilo, id est, fortunatus. Ad hanc imaginem filius Dei nos deducit Lucae I 1. cum fortis armatus, custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet &c.

V I I I.

Narrat historia populum in deserto nube tectum fuisse, quæ interdum umbram præberit, noctu uero lucem, & datum esse Manna, quod erat semen, quasi semine coriandri album, gustusque eius quasi simile cum melle. Addit etiam historia, datas esse carnes Israelitis, & rupem percussam uirga Moysi effudisse flumina ingentia. Sic etiam nunc filius Dei est umbraculum suæ Ecclesiæ, lux, panis & petra firmissima, ut Esaias 4. inquit. Est igitur umbraculum, quo tegimur aduersus iram Dei, quam nemo potest sustinere, & lux in tenebris, id est, consolator & uiuificator, item Dominus est panis, qui de cælo descendit, & dat uitam mundo, & petra, ex cuius latere fluxerunt sanguis & aqua: Sanguis, ut esset $\lambda\upsilon\tilde{\gamma}\omicron\mu$ mundans nos ab omni peccato: Aqua uero, ut suppeditaret Christi passio consolationem & uitam credentibus.

I X.

Sæpè cogito de Pauli conuersione, à cuius

I M A G I N E S.

ius oculis squamæ decedentes, haud dubiè significant Phariſaicas opiniones de Lege, de Meſſia & de ſacrificiis, quæ impediuerunt mentem Pauli, quò minus agnosceret Chriſtum non eſſe impoſtorem: ſed uerè miſſum eſſe à Deo, & eius doctrinam eſſe ueram.

X.

Quemadmodum etiam infans ex uberibus maternis unà cum lacte attrahit flammam mutuam *σὸς γῆς*; ita per Euangelium datur credentibus Spiritus ſanctus, qui eſt flamma mutui amoris inter Deum & Eccleſiam. Ut autem nulla maior miſeria infanti accidere poteſt, quàm amiſſio matris, aut auulſio à maternis uberibus: Sic cùm homines abducuntur à uerbo diuinitus tradito, ſequuntur hæc maxima mala: uidelicet amiſſio certæ doctrinæ, amiſſio firmæ conſolationis & extinctio fidei.

X I.

Regis Daniæ ſymbolum fuit S. M. C. Spes mea Chriſtus, expreſſa imago fidei. Utinam uerba huiusmodi melius conſideraremus.

Postquam uerò non obſcurè exploratum eſt, in Chriſto eſſe omnes theſauros bonorum,

I M A G I N E S.

rum merito illam ancoram accipere, & ad hunc portum confugere debemus in omnibus procellis & tempestatibus, & crucem ferre excelso animo, quod pium opus Deus à nobis requirit in Decalogo.

X I I.

David inquit in Psalmo 28, Exaudi uocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad oraculum sanctuarij tui, de quo Exodi 25. scribitur inde Deum locuturum, & ibi exauditurum esse. Hæc imago pulcerrimè ad Christum congruit. Nam Ecclesia inuocans, ad Mediatorem est alligata, & non exauditur, nisi propter ipsum &c.

X I I I.

In Homero cum Platone & præstantissimis quibusq; uiris conuenit, quòd sit Deus, quòd res humanas curet: tot igitur deorum concilia cogit, ut ostendat res hominum non temerè nec casu fluere, sed à dñs immortalibus dispensari ac gubernari, facit Deum *ἑλιάνθρωπον*, unde Iupiter ab ipso introducitur, conquerens affici se humanis casibus, & dolere sibi hominum mala atque miseras: statuit item bonos defendi, cumulari bonis, diuinitus malos puniri. Prædicat Miner-

I M A G I N E S.

Minerua in primo Odysseæ Vlysses primū propter uirtutem et honestatem, deinde & propter studium pietatis & religionis, seu cultum deorum. Sed humanæ rationis lux obscuratur, quando Sol iusticię Christus exoritur: quemadmodum nullæ stellæ in cœlo conspiciuntur, quando Sol suis radijs nos illustrat.

X I I I I.

Vt autem Myrrha acris & amara est, & tamen sanat uulnera: Ita crux, etsi carni insuauis est, tamen non exitialis, sed salutaris est, iuxta dictum Ebræ. 1 2. Omnis afflictio in præsentia non uidetur gaudiū esse: sed tristitiæ. Postea uerò excitatis per eam adfert fructum pacificum iusticiæ.

X V.

Vt autem aratio nihil detrimenti terræ adfert, sed eam præparat ad excipiendum & fouendum semen: ita crux pijs non est exitialis: sed adfert exercitatis per eam fructus pacificos iusticiæ. Soleo mihi sæpè ante oculos proponere officinas, in quibus metalla aut purgantur, aut probantur, aut ita molliuntur, ut conflari in uomeres, & alia instrumenta rei familiaris possint, & simul cogitare propter easdem causas, pios duriter premi atq; execrari. Aut enim purganur,

I M A G I N E S.

gantur, ut Ioh. 15. Christus inquit: Omnem palmitem in me ferentem fructum Pater purgabit, ut fructum copiosorem ferat. Aut probantur iuxta dictum Rom. 5. Afflictio parit probationem &c. Aut præparantur, ut ad gubernationem Ecclesiæ, uel reipublicæ magis sint idonei. Qui enim non est tentatus, qualia scit?

Cùm autem Deus inenarrabili bonitate se ita patefecit, & in Lege & in Euangelio: necesse est ut illud nobile depositum religiosè conseruemus, uerbum attentè audiamus, & usum Sacramentorum rectè uti non dubitemus.



Est

I M A G I N E S.

Est uetus dictum: Beatus ille pastor, qui non habet Nimroth, Abraham aut Naaman. Nimroth, id est, tyrannum, Abraham, id est, Iudæos, qui sunt artifices ad fraudes fruendas & insidias: Naaman, id est, leprolos. Versus in campana Halensi:

En ego campana nunquam denuncio uana:

Laudo Deum uerum, plebem uoco, congre-
clerum.

Hoc est, bonus pastor debet autoritate & doctrina regere auditores. Deinde debet tueri concordiam & mutuam amicitiam inter docentes.

I I.

Aristoteles dicit de Antisthene, esse quosdam tales, ut non aliter sit ipsis concionari, quam si lepores concionentur Leonibus. Plerumque enim deuorant eos Leones. Est imago piorum & sanctorum doctorum Ecclesie, ueritatem & peccata indicantium Leonibus, id est, tyrannis & persecutoribus piorum hominum, à quibus lacerantur ut lepuseuli à Leonibus.

I I I.

Coruus ex arca emissus, nec reuertens, quod cadaueribus laniando occupatus esset, est doctor *πλεονεκευκός*, qui utilitatem suam sic tuetur, ut quidquid agat, ad eam referat,

C

ferat,

I M A G I N E S.

ferat, oblitus commodorum Ecclesiæ. Columba uerò reuertens cum oleæ ramo, boni & salutaris doctoris imago est, qui magis de Ecclesiæ salute & conseruatione angitur, quàm de sua & suorum incolumitate.

I I I I.

Christus inquit Matth. 10. Estote simplices sicut columbæ, & prudentes sicuti serpentes. Columba est imago ministerij Euangelij, quod in ore ministrorum sonans, saluberrimum oleum gratiæ diuinæ, remissionis peccatorum, Spiritus sancti, & uitæ æternæ credentibus, in arcam Ecclesiæ inclusis adfert. Hæc allegoria ex multis illustribus testimonijs extracta est. Luc. 10. in uulnera fauciati Samaritanus infundit uinum & oleum, hoc est, Legem & Euangelium, & tantam esse concordiam duarum arborum, oleæ & uitis scribunt, ut olea insita uiti & oliuas & uuas gignat. Ramus oleæ significabant pacem, ut Decad. 3. lib. 4. apud Liuium apparet. Et Christo intranti Ierosolyma, populus offert ramos oleæ & palmarum, tanquam auctori pacis & uictori.

Columbæ igitur referunt imaginem ministrorum & omnium piorum in Ecclesia, sicut ipse Spiritus sanctus in specie columbæ appa-

I M A G I N E S.

apparuit. Et Christus inquit: Estote simplices sicut columbæ, pleræq; proprietates his uersibus comprehensæ sunt.

Est sine felle, gemit, rostro non ledit, & ungues

Possidet innocuos, puraq; grana legit.

Gaudet aquis, quæritq; greges, celeri q; uolatu.

Tuta petit, foetus educat alterius.

Masculus ipse fouet foetus atq; incubat ouis,

Coniugij seruant foedera casta simul.

Hæc simulacra uirtutum, & cæteras inclinationes & actiones columbis proprias, non difficile est, per allegoriam primùm ad ipsum Christum, deinde ad Ecclesiam, postea ad ministros Euangelij, postremò ad singulos pios accommodare. Columbæ sunt sine felle, *haben keine gallen*, id est, non habent iras & odia, & cupiditatem uindictæ. Sic nos debemus esse sine priuata ira, sine odijs, sine cupiditate uindictæ. Hic consideretur quanti motus in imperijs oriantur ex priuatis odijs. Sic Arius mouet suam hæresin cupiditate uindictæ, quia non est factus Episcopus. Columbæ sæpè pariunt, & diligenter fouent pullos, & non norunt adulteria, & non discedunt ex suis locis. Talis est bonus concionator, multos docet. Non docet adulterinam doctrinam. Non uagatur per uarias sectas.

C } 2

Estote

I M A G I N E S.

V.

Estote prudentes sicut serpentes. Dicitur hæc natura esse serpentis, quando pugnat cū alijs serpentibus uel hostibus, tunc præcipuè laborat uiribus capitis : sed ne lædatur, diligenter & arte circūdat gyris colli, & curat, ne lædatur caput. Sic Christianus concionator laborat capite, id est, doctrina, & circumdat caput, id est, cauet, ne amittat doctrinam. II. Serpentes non amittunt uitam, capite saluo, etiamsi aliæ partes corporis sint dissectæ. Sic Ecclesia & anima non perit, etiamsi membra & facultates pereunt, modò doctrina sit salua. III. Serpens nouit eum à quo est læsus, etiamsi est in magna turba hominum, & hunc petit non alios. Sic debet concionator nosse inimicos, hostes Euangelij, & hos reprimere, non irritare alios. IIII. Serpens nouit sua remedia, in senectute purgat oculos fæniculo. Et inde didicerunt homines, fæniculum prodesse oculis. Sic debet concionator nosse remedia oculorum, uerbum Dei, & debet procul prospicere, ne mala dogmata recipiat.

VI.

Deinde ut apoplexia morituri seruantur, & quasi ex orci faucibus reducuntur, cum ad nares admouetur accensum Succinum,
cui

I M A G I N E S.

cui electri nomen attribuerunt: Ita hæ dulcissimæ consolationes: Sic Deus dilexit mundum &c. Item: Venite ad me omnes &c. sunt uictrices mortis & desperationis. Sensit hunc effectum Euangelij Dauid exulans, cum esset pulsus à filio, & recordatione suorum lapsuum non leuiter cruciaretur. Sensit eundem latro emendatus in cruce.

V I I.

Omniùm imaginum, quæ pingunt bonitatem *χρηστότητα καὶ εὐλαβρωπία* Dei, haud scio an ulla sit amabilior quàm hæc ipsa, quæ Deo imponit nomen pastoris. Nam pastor ouium habet exploratum, quam molle pecus sint oues, quam inerme, quam egens alienæ opis, gubernationis, defensionis. Ideo & suauissimè Esaias inquit: capite 40. Sicuti pastor gregem suum pascet, in brachio congregabit agnos &c. Quod uero p̄i comparantur ouibus, sciendum est, hanc imaginem omnes inflammare, ut uocem Euangelij audiant & sequantur. Secundò, ut sint mansueti, sint simplices, sint patientes in cruce, addo etiam in morte, sint denique grati pastori. Nam sicuti oues præbent lac, dant lanam: Sic & omnes, qui oues Christi dici & haberi uolunt, conseruare ministerium

I M A G I N E S.

Euangelij, & gratitudine animi prouehere non dubitabunt.

V I I I.

In Psalmo 72. inquit: Et erit copia frumenti in terra &c. Comparat fecunditatem Ecclesiae seu regni Christi, laetissimae segetis, quae uotis auari agricolae responderet. Ut enim oculos delectat densitas triticeae segetis: ita nullum spectaculum iucundius est, quam uidere Ecclesias florentes, in quibus puritati doctrinae concordia docentium est adiuncta. Magna est Emphasis in nomine Bar, quod significat triticum purissimum, quasi diceret: in Ecclesia non dominabuntur inanes paleae traditionum humanarum, quae nihil succi habent: sed florebit triticum, quod cum corpore magnam habet cognationem. Nam ex tritico & uino optimus sanguis generatur. Ita Euangelium sine corruptelis propositum, adfert pijs firmam consolationem.

I X.

Non frustra Christophori imago olim in omnibus Templis picta est, sed ad hunc usum, ut significaret, qualem esse, & quid sustinere Christianum & praecipue doctorem Euangelij oportet. Nam uelut in medijs incendit fluctibus heros, qui non magnum hume-

I M A G I N E S.

humero: sed graue gestat onus: Sic & multa pios discrimina oportet adire: Qui uerbum portant maxime Christe tuum. Sed ut heros ille se erigit & sustentat quadam arbore, quæ etsi primùm arida est: tamen postea florere incipit: Ita sancti in periculis confessionis sustentant & erigunt se uerbo, quod multos bonos fructus parit.

X.

Magnifica sanè res est, & pompa minimè uulgaris, promulgatio Decalogi. Nam in rupe Sina inter tonitrua & fulgura sonuit uox Dei, edens Decalogum, & uniuersa multitudo populi Israël fuit spectatrix flammarum in monte, & terribilem sonitum tubæ cœlestis ingenti cum pauore & consternatione animorum audiuit. Etsi autem spectaculum in noua Pentecoste non est similis promulgatæ legi, nec perinde in oculos hominum incurrit, cum alia sit Euangelij gloria quam Legis, tamen hæ res sunt maiores & præstantiores. Quid est enim legis doctrina uni populo tradita, si conferatur cum Euangelij sapientia, per quam duce Spiritu sancto, Apostolis autem promptè sequentibus, æterna Ecclesia ex uniuerso genere humano collecta est.

I M A G I N E S.

X I.

Paulus inquit in Epistola ad Colossenses 3. Verbum Dei habitet inter uos cum omni sapientia. Sunt uerba insignia, quæ singularem Emphasin & pondus habent. Magna uis est in uerbo habitandi, quasi dicat, Non tantum in templis & scholis sonet uox diuina: sed singulæ domus sint Ecclesiæ, in quibus pueri & puellæ legant Moysen & Prophetas, & audiant interpretationem Legis & Promissionum, per quas se Deus patefecit. Nec uero obiter hæc fiant, sed ita abundet uerbum Dei in pijs familijs, ut etiam conuiuia & sermones quotidiani hoc sale conspergantur. Quorsum autem postera particula pertinet cum omni sapientia? Huc uidelicet, ut intelligas, sine literis & longa institutione, religionis doctrinam subito percipi non posse, et rationem captiuam esse ducendam, calceos esse exuendos, & infra montem permanendum.

Nunc imagines Baptismi.

I.

In Psalmo 30. inquit Dauid: Dominus ad diluuium faciendū sedet, & sedebit Rex in æternum. Historiæ de diluuiio & de educatione

I M A G I N E S.



ctione populi ex Aegypto, sunt illustres Imagines Baptismi. Ut enim familia Noë seruata est, deletis omnibus impijs, ita Christo inserti per Baptismum, ab æterna morte liberantur, donantur iusticia & uita æterna. Deinde ut Pharaon aquis maris Rubri obrutus perijt, Ecclesia populi Israël mirabiliter conseruata: Ita in Baptismo peccata nostra sepeliuntur, & nos unà cum Christo resurgimus, ut in nouitate uitæ ambulemus. Huius imaginis locupletes testes & autores habemus Paulum 1. Cor. 10. & Petrum in prima Epistola capite 3.

C 5 Ex hi-

I M A G I N E S.

I I.

Ex historia de arca capta à Palæstinis, docet, Deo displicere hypocrisin, quæ fingit homines. sola professione iustos esse. Erat autem Arca fœderis, quæ tegebatur propiciatorio, signum uisibile, cui addita erat promissio, Deum ibi exauditurum esse preces conceptas in Spiritu & ueritate. Vt autem nunc multi sine poenitentia & sine fide utuntur Sacramentis, & imaginantur se iustos esse propter ipsam ceremoniam: Ita tunc Israëlita polluti idolomania, omnem spem salutis in præsentia arcae fœderis repositam habebant, eamque sine mandato Dei in castra accersebant, perinde ut sacrificuli Papistici panem in pompa perfica circumferunt. Sed Deus infelici exitu prælii, & maxima clade, hanc Pharisaicam persuasionem refutauit, & paulò post gloriam sui nominis illustribus miraculis uindicauit. Sic & aliquando sex Papistica dabit poenas graues.

Nunc parum de Fe-
stis.

Quid

IMAGINES.



I.

Quid Pascha significauit in ueteri Testamento omnibus notum est. Legatur hac de re germanicum scriptum de Agno Pascali, à me editum.

II.

Narrat Cyrillus, ipso die Pentecostes quotannis solitum Angelum de caelo descendere, & piscinam, cuius fit mentio apud Iohannem capite 5. agitare, ut sanaretur primus, qui post motam aquam inferebatur, nec dubium est, quin hunc diem datae legis ornare, hoc testimonio peculiariter Deus uolue-

I M A G I N E S.

uoluerit, & ipsa conturbatione aquarum significare ministerium Legis, ut admoneretur populus, ad quem usum data Lex esset, & quare illa Pentecoste instructa esset, uidelicet ut uoce Legis conturbatae conscientiae, horribilem iram Dei, aduersus peccata agnoscerent. Sed hoc miraculum nec applicatione, nec effectu cum Deo linguarum, quod Apostolis tributum est, conferri aut potest aut debet. Nam illa anniuersariae conturbatio piscinae, tantum ad unum hominem pertinebat, ac plerumque pauperes arcebantur, ne saluari possent: Hoc uero donum linguarum uniuersaliter docuit omnium gentium, omnis sexus, omnis conditionis homines, quaecumque ad salutem necessaria sunt. Deinde illa commotio aquarum facta ab Angelo, etsi corporum cruciatus leniebat, tamen conscientias spectaculi significatione perturbabat. Hoc autem donum, quo Apostoli ornati sunt, ad docendam uarietatem nationum, sanauit animos, grauissimo peccati uulnere percussos, & conscientijs tranquillitatem, quae oritur a fide & spe intuente Mediatorem, restituit. Cum igitur Iudaei nunquam satis praedicare possint suam Pentecosten, hoc est, promulgationem Legis & constitutionem Politiae iam pridem deletae, & mira-

I M A G I N E S.

& miracula quę sunt testimonia Legis, Quo-
randem animo nos esse debemus, aut quo
ore nostram Pentecosten celebrare possu-
mus, in qua Spiritus sanctus Ecclesię dona-
tus, qui non solum accendit in mentibus no-
stris lucem ueritatis, & ueram Dei agnitio-
nem, nec finit eas occupari impijs & fanati-
cis furoribus, sed etiam uoluntates & corda
flectit ad ueram obedientiam, timorem
Dei, fiduciam, dilectionem, spem, & alias
uirtutes, & quidem incoat in nobis iustici-
am & uitam æternam. Hęc tanta dona ag-
noscenda sunt, & pro eis gratiæ agendæ: &
ardentibus uotis in tota gubernatione uitę
petendæ sunt.

I I I.

Festum Tubarum haud dubiè est imago
ministerij, prædicantis in nomine Christi
pœnitentiam & remissionem peccatorum,
ut Esaias capite 58. inquit: Clama, ne cesses,
quasi tuba exalta uocem tuam, & annuncia
populo meo scelera eorum.

I I I I.

De anno Iubileo. Leuitici 25. capite,
constituitur lex de anno Iubileo, ut faculta-
tes ad priores suos dominos redeant. Signi-
ficauit uero ille annus Iubileus, populo Isra-
elitico uniuersalem Euangelij prædicatio-
nem,

IMAGINES.

nem, & ueram remissionem omnium peccatorum, quæ est Ecclesiæ propria omnibus temporibus. Habuit etiam præter hanc significationem alias multas utilitates, politicas & singulares. Voluit Deus facultates in illo populo manere, & apud illas familias, quibus Lege Moyfi à Iosua ante erant traditæ, Sicuti apud nos fit in feudis, quæ Vasulli non possunt, nec debent sine consensu domini feudi alienare. Hæc ratio hanc ipsam ob causam adhuc seruatur, ut maneat facultates apud suas familias. Occurrit etiam Deus hac lege his utrisq; prodigis & auaris. Hi inhiant alienis facultatibus, & illas uarijs artibus ad se rapere conantur: illi uendunt suas paternas facultates, & inanis sumptibus consumunt.

Nunc de Ecclesiâ aliquot
Imagines.

I.

Venusta imago est Ecclesiæ Halcionum partus, quæ cum in scopulis maris nidificent, solent incubare ouis, & excludere pullos in media bruma: cum quidem mare, tamq; inseruiens illis incubantibus, per illud tempus mitescit & placidum est.

quid

I M A G I N E S.

quid illa imago significet, non obscurum est. Conueniunt etiam Ecclesiae mores Halcyonum, quae nesciunt adulteria, & extincta coniuge, alter manet coelebs, ac paulò post consumtus luctu moritur. Mulier etiam senem maritum gestat humeris suis aequatum. Ita ueteres scripserunt, honesti coniugij exempla esse. Etiam non malè accommodatur ad Ecclesiam, quae gestare, & fouere omnibus beneficijs et officijs benè meritos pastores, doctores & ministros Euangelij debet.

I I.

Curruca Græcis est hypolais, quia nomen inde habet, quod humi ad saxa nidificet, talis est uerè Ecclesia, spreta & abiecta in mundo. Hæc dum omnes fouere & iuuare conatur, etiam supposititios foetus nutrit, qui cum propter hypocrisin ueniant in admirationem, facilè beneficio Ecclesiae auctoritatem & potentiam consequuntur. Hanc adepti, denique grassantur in ipsam matrem, eamque dilacerant, & crudeli tyrannide opprimunt. Arrium euexit ad honores Ecclesia Alexandrina, qui cum esset supposititijs foetus, postea Ecclesiam orbis terrarum horribiliter dissipauit. Hac de re habemus singulare exemplum in oratione de Gregorio Nazianzeno.

I M A G I N E S.

Nazianzeno anno 1558. Vuitebergæ habitata. Quem cum Ariani non potuissent pel-
lere, exoritur alia pestis ad eum perdendum.
Gregorius Cynico cuiusdam nomine maxi-
mo persuaserat, ut doctrinam Ecclesiæ am-
plecteretur, eumq; ad Presbyteri & Lectoris
munus euehit. Hic ut Cynicus & humana
& diuina iura oblitus, ardens ambitione ad-
iungit se factioni, quæ Gregorio erat inimi-
ca, & excutore senem, & in sese transferre E-
piscopi dignitatem conatur &c. Sed tandem
seueritate Theodosij scycophanta maximus
est repressus, & piorum sententijs creatus
Episcopus Nectarius Tarsensis, uir eruditus
& rectè sentiens.

I I I.

Sol est typus Christi, Luna est Ecclesiæ.
Sed hac de re habes explicationem in Pri-
ma parte Imaginum.

I I I I.

Dauid inquit in Psalmo L VII. Anima
mea in medio Leonum dormit, filij homi-
num sunt flammæ, dentes eorum lanceæ &
sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Hæc imago Ecclesiæ diligenter aspiciat-
ur. Semper Ecclesia sic uiuit, ut Daniel se-
dens inter Leones, semper undiq; Diaboli
nobis

I M A G I N E S.

nobis insidiantur, semper homines impij
minitantur Ecclesiae atrociam. Sic Esaias cap.
II. comparat Ecclesiam infanti sedenti in
specu aspidum, & ludenti cum Basiliscis. Ut
enim infans non intelligit magnitudinem
periculi in quo uersatur, nec ullo praesidio
munitus est aduersus nocentissimos serpen-
tes: Ita Ecclesia non penitus perspicit artes
Diaboli & mundi, quibus oppugnatur, nec
habet uisibilia praesidia, ad quae confugere
possit. Restat ergo hoc unum, ut ad Deum
confugiamus. Porro cum nullum telum
nocentius sit quam lingua, si ad nocendum
conferatur, uenustissime comparat calum-
nias flammis, sagittis & gladijs acutis. Ete-
nim calumniatores non tantum ijs nocent,
quos deformant, sed etiam auditoribus stul-
te credulis, in quorum pectoribus aculeos
suspicionum relinquunt. Non enim temere
dictum est, calumniare audacter, quia sem-
aliquid haeret.

V.

In Psalmo 74. orat Dauid, Ne tradas be-
stiae animam Turturis tui &c.

Quid dulcius est: quam quod Ecclesiam
comparat Turturi, qui non canit: sed gemit,
& post obitum coniugis, semper in luctu
D est. Ta-

I M A G I N E S.

est. Talis coetus est Ecclesia, clamans ad Deum gemitibus ineffabilibus. Hunc turturum ne tradas ô Deus bestiae, id est, Antichristo, Papæ & Turcæ.

V I.

Historia de Manna proponit illustrem imaginem Ecclesiae omnium temporum. Ut enim populus Israël in deserto sine cultura agrorum & sine com meatibus uiciorum, alimenta petiuit & expectauit, donec in terram promissam introduceretur: ita Ecclesia alijs temporibus non regitur, defenditur & seruatur humanis humanis consilijs: sed mirandis modis, quos non potest humana ratio prospicere, ut Psalm: 4. dicitur: Cognoscite, quoniam mirabiliter regit Dominus sanctum suum. Monet etiam hic locus, non casu spargi res necessarias uitæ corporis. Postremò hic cibus eos etiam commonefecit de cibo spirituali, qui est res uiuifica.

V I I.

In Psalmo 34. inquit Dauid: Etenim passer inuenit sibi domum, & hirundo nidum sibi &c.

Etsi uolucres propter celeritatem ad fugam

I M A G I N E S.

gam maximè expeditæ sunt: tamen mortem potius oppetunt, quàm nidus deserant, ut in poemate quodam scriptum est: Non quem sibi nidum uolucris struxerat, relinquit, atq; cedit alteri fugax, ovis ut alia ibi incubet recentibus: ita affirmat se potius uitam amissurum esse, quam fore desertorem & proditorem Ecclesiæ, quæ est domus Dei, & sedes ueritatis, & extra quam non est salus.

V I I I.

Iustus ut palma florebit, sicut Cedrus Libani multiplicabitur. In hoc uersu Psalmi 92. duæ pulcherrimæ imagines nobis ob oculos ponuntur. Iustus florebit ut palma. Pauca ex Plinij libro 13. de natura palmæ repetam, eaq; ad imaginem Ecclesiæ accommodabo: Palma, inquit, non nascitur in alia parte terrarum, nisi in calida, frugifera uero nusquam, nisi in feruida. Gignitur leui sabulosaq; terra, maiore in parte & nitrosa, gaudet & riguis, totoq; anno bibere amat. A fimo quidam etiam lædi putant: diximus falsum ab hac solum diligi. Ergo ubi non est tale, falem aspergunt, non radicibus, sed longius paulò. Hæc eodem modo de fide & Ecclesia dici possunt. Fides

D 2 nasci-

I M A G I N E S.

nascitur in terra sabulosa & nitrosa, id est, in corde contrito agnitione peccati. Vt aut pal-
 mis calore & humore opus est: Ita fides ac-
 cenditur à Spiritu sancto, & riuulis Euange-
 lij irrigatur. Læditur autem fimo, id est, cor-
 ruptelis doctrinæ, & uulneribus conscien-
 tiæ. Porro, ut palma est frugifera: sic fides
 non est ἀκαρπῶς: sed efficax per dilectio-
 nem. Item, ut palma sustinet imposita onera,
 quoq; magis premitur, tanto altius assurgit:
 ita fides est uictrix ærumnarum, & inter æ-
 rumnas lucet maximè. Deniq; folia palmæ
 non decidunt, ita fructus docentium sunt æ-
 terni, ut Iohan: 15, dulcissimè dicitur: In hoc
 glorificatur Pater meus: si fiat is mei disci-
 puli, & fructum multum feratis, & fructus
 uester maneat.

I X.

Sicut Cedrus Libani multiplicabitur,
 de Cedro lege Plinium lib. 13. capite 5. Vt
 enim Cedrus non sentit cariem: sic Ecclesia
 firma & stabilis est, etiamsi undiq; ab om-
 nibus uentis odij Diaboli circumflatur. Vt
 autem Cedrus fructifera non floret, & tamen
 resinam habet laudatissimam: Sic Ecclesia,
 etsi deformis est, tamen fructus gignit Deo
 placen-

I M A G I N E S :

placentes, & suis ciuibus salutare. Plinius scribit, quod duo genera sunt Cedri, quæ floret fructum non fert, fructifera non floret: ita Impiij, Papa & reliqui florent coram mundo, quandam uitæ sanctimominiam equidem fingunt: sed quidquid faciunt, est peccatum, nam sine fide nemo Deo placere potest.

X.

Dauid inquit in Psalmo 104. Hoc mare magnum & spaciosum, illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis.

Vt in formicis, apibus, bombycibus: Sic in Echneide, quam Latini remoram appellauerunt, potentia Dei lucet atq; conspicitur. Ac mihi de hoc naturæ mirando spectaculo cogitanti in mentem uenire solet, Ecclesiam similem esse Echneidi. Vt enim hæc tenet nauium impetus, Sic Ecclesia partim uerbo, partim precatone frangit ac debilitat conatus Diaboli & organorum eius.

Quia uerò Ecclesijs Scholæ coniunctæ sunt & esse debent, artes liberales & linguarum cognitionem non debemus negligere.

I.

Vt enim uenæ in nostro corpore arterijs

D 3 adiun-

I M A G I N E S.

adiunctæ sunt, ut materiam gignendorum spirituum eis suppeditent: ita necesse est, coniunctas esse pias scholas Ecclesijs.

I I.

Accidit musis & his studijs (ut inquit D. PHILIPPVS in Secundo Tomo declamationum, folio 32.) hoc tempore in mundo, quod Strabo cuidam Citharoedo olim apud Iassium accidisse memorat. Qui cum in theatro eius loci eruditè, ac suauiter caneret, audirentq; eum Iassij, statim ut increpuit tintinabulum, quod signum erat illis uenum expolitorum piscium, illico omnes citharoedo relicto, ad pisces emendos dilapsi sunt, præter unum surdastrum, qui cum sonum tintinabuli auditu non percepisset, solus remanserat. Ad eum igitur conuersus Citharædus: O homo, inquit, gratias tibi ingentes habeo, cum propter musicæ studium, tum propter honorem erga me, quod non sicut cæteri statim ad crepitum tintinabuli foras proiecisti te, ut pisces emereres. At ille: quid ais, num iam tintinabulum sonuit. Qui cum adfirmaret: At tibi bene sit, inquit, ac surgens protinus ipse quoq; foras ad piscium emtionem procurrit, estq; Citharædus solus destitutus, nec in tanta uibe reper-
tus est

I M A G I N E S.

tus est quisquam, qui pluris Musicam, quam putridos pisces faceret.

Ita his temporibus hæc studia quoque, & literæ negliguntur. Proruit se quisque ad sordidas & questuosas artes, diris cupiditatibus, & uentri seruiunt, præter illum nullum Deum norunt. Ut ingenium, ut partem meliorem ac diuiniorum sui excolant ornamentum, perpauca curant. Utque in turbulento & ebrioso conuiuio homines nugantur, ridet, uociferantur, perstrepunt, ludente aliquo insigni Musico, nec aduertunt, nec auribus animis uel accipiunt illam suauitatem Musices, aut perfruuntur ea: Ita hoc seculum suis cupiditatibus uelut ebrium & amens non exaudit uoces Musarum, nec attendit animum. Qui uero sua autoritate & opibus præcipue hæc studia prouehere atque ornare debebant, hi cum plerique ipsi barbari sint & inculti, impendio magis ea oppressa & deleta cupiunt. Utque Herodes Rex Iudaicæ gentis, cum ex humili & obscuro loco ad regios honores euectus esset, iussit omnes libros, in quibus genealogiæ continebantur, incendi atque aboleri, ut ita discrimine nobilitatis & ignobilitatis sublato, sui quoque generis obscuritas minus infamis esset &c.

D 4 Sicut

I M A G I N E S.

II I.

Sicut omnes Labyrinthi impeditiores, ductorem requirunt, & ferarum in syluis lustra & cubilia reconditiora, uenaticorum canum sagacitate prædam inuestigantium, operam deponunt. Sic hoc, Christum unicum salutis nostræ præsidium, in scripturis uenandi studium, suis promouetur adiumentis, suis quibusdam fulcris sustentatur, suis constat adminiculis, suam quandam artem, suos quosdam casses habet & canes, inter quos non postremum locum obtinent linguarum præsidia, Quemadmodum enim Venator canis raris sagacitate abductus sæpe numero in abstrusissimis etiam lustris latentem depræhendit feram, quæ canum uulgarium naturæ hac præstantia non præditorum, multa etiam examina fallere posset. Sic qui linguis Græca & Hebraica tanquam uenaticis quibusdam canibus instructi, scripturæ opaca perlustrare conantur, sæpenumero in prædam longè grauissimam incidunt, & præclara multa è scripturis sanctis eruunt, quæ alijs, quæ hisce adminiculis destituti sunt, tecta manent, ac prorsus incognita.

III I.

Sint academiæ, ut alueoli apum, suum quisq;

I M A G I N E S.

quisq; officium rectè faciat: doceamus uti-
lia, conferamus operas candidè, iuuemus
nos mutuò: tueamur communem quan-
dam concordiam.

V.

Plato in Phædro fingit duplices animas,
quarum alteras fingit alatas esse, alteris uero
alas decidisse. Alatas ait uolitare in cœlum,
fruentes congressu colloquioq; Dei & pul-
cerrimo spectaculo cursuum cœlestium, &
considerare causas omnium mutationum
in inferiori natura, in arte, in animantium
corporibus, in hominum studijs & mori-
bus, in uarijs imperiorum & ciuitatum casi-
bus. Atq; hæ animæ toto uolitantes cœlo,
captæ pulcritudine diuinarum rerum, & il-
lius admirandi ordinis, & suauitate doctri-
næ, & uirtutis: hac una uoluptate perpetuò
frui cupiunt, nec onerant se obscœnis uolu-
ptatibus, quæ perturbant harmoniam uir-
tutum in animis, & obijciunt caliginem, ne
cœlestia possint aspicere. At illæ animæ,
quibus alæ deciderunt humi uagantur, &
uoluptates quærunt impuras ex rebus terre-
nis. Nec enim illam pulcerrimam lucem re-
rum cœlestium inspiciunt. Etsi autem Plato
intelligit alas heroicos impetus ingenio-
rum, tamen nec illi quidem impetus soli, ani-

D 5 mos

I M A G I N E S.

mos subuehunt: sed opus est etiam artibus,
quibus illi ipsi impetus attollantur. Sunt
igitur alæ mentis humanæ, Arithmetica &
Geometria. Has si alligauerit sibi aliquis in-
genio non sordido, facilimè penetrabit ad
cognitionem multarum rerum utilium.

Nunc dicam de parentibus,
liberis.



I.

Ac ne alimentum conueniens in lucem
editis desit, præparat Deus lac in maternis
uberi-

I M A G I N E S.

uberibus, quæ quidem propter duas causas pectori sunt addita, Primum, ut lac melius coquatur calore cordis. Deinde, ut à corde etiam spiritus & amor transfundatur in sobolem, & mutuus amor perpetuo flagret inter parentes & natos. Nam in bestijs, quarum ubera longius à pectore distant, extinguitur memoria parentum & sobolis. Horum miraculorum & beneficiorum admiratione uelut attoniti obstupescamus, & cum Dauide exclamemus: Quid reddam DOMINO pro omnibus, quæ mihi dedit?

I I.

Pictor ille nobilis tristissimum uultum Agamemnonis stantis ad aram, ad quam immolanda erat Iphigenia filia, representare non potuit, inuoluit caput eius, ut spectatores ipsi de inæstitia paterni animi iudicarent.

I I I.

De Cimone quodam memorant, qui Vir iam magnus natu, cum capitis damnatus, atq; in custodiã, ut ubi fame necaretur, traditus esset, filia, impetrato à custodibus aditu, quotidie patrem inuisere solebat, sed prius excussa, ne quid ei quod esui esset adferret. At illi tandem admirati, senem tam
diu

I M A G I N E S.

diu absq̄ cibo uitam sustentare, cum mulierculam curiosius obseruarent, animaduertunt eam exerta mamilla patrem lacte suo alere, percussiq̄ tam mirabilis spectaculi nouitate, rem iudicibus ac magistratibus indicant, qui tantæ pietati eum honorem habuerunt, ut patrem filiaẽ cõdonarent. Quem non commoueat ista omnem laudem ac prædicationem exuperans ἀνὺπελάργησις.

I I I I.

Ita Aeneam suam Virgilius confectum senio parentem ex incensa urbe, in humeris exportantem fingit, cum hunc haud dubiè summum pietatis gradum ei tribuere uellet.

V.

De Ciconia etiam extat carmen elegantissimum, quod adiungam in Tertia parte Imaginum.

DE MAGISTRATV.

Effectus seu officia Magistratum hæc sunt.

I. Sit nutritius fouens Dei Ecclesias & Scholas, prohibeat externas blasphemias, tollat cultus impios, & curet proponi doctrinam ueram de Deo, & erudiri populum de ueris cultibus.

II. Sit

I M A G I N E S.

- II. Sit custos Decalogi, quod ad exter-
nam disciplinam attinet.
III. Sit custos etiam suarum legum posi-
tiuarum.
IIII. Sit executor Decalogi & suarum
legum, hoc est, exercent iudicia, & poenis
corporalibus contumaces puniat.
V. Sit custos pacis, defendens corpora &
facultates subditorum contra iniustam ui-
olentiam, depulsis latrocinis & hostibus.
VI. Sit $\gamma\epsilon\acute{\omega}\rho\gamma\iota\theta$, paterno animo prospici-
at de uictu subditorum.

De his officijs sex, subiiciam aliquot
Imagines.

I.

Imperatores Germani hoc modo pingi
solebant, tenentes altera manu librum, & al-
tera ensem. Quo antiquitas uoluit significa-
re, Imperatores legum & armorum peritia
debere esse instructos, gladius enim sine le-
ge, est tyrannis. Pictura ista in gratiam iu-
niorum sic proposita est, ut commonefie-
rent de praecipuis gubernationis partibus.

II.

Signa bonae gubernationis.

Bene constitutae Reipublicae signa sunt,
recte ordinatum horologium, bonum regi-
men, & bona Ecclesiae constitutio in conci-
onibus

Y M A G I N E S.

onibus & ceremonijs. Veteres addunt bonos caminos in ciuitate.

I I I.

Sic D. Philippus inquit de Q. Carolo. Aquila est imago Imperatoris, qui diuinitus custoditur. Dicitur autem aquila ideo minister fulminis, quia altissimè uolat, & non feritur fulmine: nam diuinitus seruatur. Deinde non uescitur alieno labore, ut uultures & corui, sed proprio, ex uenatione. Moritur autem fame in senectâ. Iam uidetis quantæ sint conspirationes contra nostrum Imperatorem Carolum. Italia & aliæ regiones consentiunt in interitum Aquilæ: sed tamen hæc Aquila diuinitus seruatur à fulmine Gallico, Italico, Turcico & aliarum conspirationum. Sed

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,

Et subito casu, quæ ualere, ruunt.

I I I I.

Sicuti Christophorus est imago Ecclesiæ, seu uerè pñ doctoris Ecclesiastici: Ita Georgius est typus uere heroici gubernatoris politici, qui diuinitus uocatur & excitatur ad gubernandam ac defendendam rēpublicam: qui non modo singularibus donis ad gubernandum instructus est: sed etiam cui singularem autoritatem ac felicitatem Deus circum-

I M A G I N E S.

circumdedit. Talem enim esse oportet, qui
 in summis periculis reipublicæ salutem ad-
 ferat, quales heroes in populo Dei fuerunt
 Iosua, Gideon, Samson & similes. Apud eth-
 nicos, Achilles, Hector, Iulius Cæsar, Augu-
 stus, Alexander Macedo, Themistocles &c.
 Non enim satis est politiam optimis legi-
 bus, prudentissimis doctissimisq; uiris esse
 instructam, sed necesse est etiam accedere gu-
 bernatorem, qui heroïca uirtute & felicitate
 præditus sit. Ut enim Rex iste, cui Geor-
 gius opem tulit, suis uiribus & consilijs Dra-
 conem istum omnia uastantem, non pote-
 rat è medio tollere: Ita Magistratus, hoc est,
 reges, principes, & gubernatores politici
 oppressæ reipublicæ opem ferre nequeunt,
 nisi à uiro heroïca fortitudine ac felicitate
 præditi adiuti fuerint. Ut apparet in ex-
 emplo Achillis, qui dum pro Græcis & cum
 Græcis pugnaret, superiores erant Troianis,
 e contra cum ipse pugnare cesserat, magnam
 cladem accipiebant. Filia regis est poli-
 tia, siue respublica, quo poëmate signifi-
 catum est, reges, principes, & gubernatores
 politicos non aliter debere rempublicam
 amare & fouere, quam pater solet unicam
 suam filiam diligere. Draco significat
 omne genus calamitatis ac pestis, qua op-
 pressa

I M A G I N E S.

pressa est politia seu respublica. Quod Georgius ultro opem fert filiae regis destinatae Draconi, & regnum ab isto portento ac peste liberat, significatum est, heroicum uirum immenso quodam studio liberandae Reipub: ac restaurandae publicae tranquillitatis flagrare. Nullos quamuis difficiles ac molestos labores refugit, nulla fugit pericula, nulla detractat certamina uir heroicus, modo ut rempub: iuuare & ornare possit, imò uoluptati sibi est, propter salutem Reipublicae seipsum conijcere, & gloriosum putat, pro libertate patriae mortem oppetere, Quemadmodum in Achille conspicitur, qui interrogatus ab Aiace, quos sustinuisset omnium maximos & difficilimos labores? Respondet, susceptos pro amicis. Cumque pergeret Ajax interrogare, quos omnium iucundissimos sustinuisset? rursus Achilles: eosdem inquit, significans heroicum uirum flagrare immensa cupiditate iuuandae Reipublice, qua inflammatus, res suscipit asperissimas, non ut suae uoluptati: sed ut communi seruiat.

V.

Academia Heidelbergensis habet insigne, Leonem tenentem librum, pulcherrimum Principis & Academiae insigne, est pulcrum

IMAGINES.

pulcrum testimonium, quod Principes & omnes gubernatores debeant esse custodes doctrinarum & scholarum.

VI.

Leo est imago boni gubernatoris. Sicuti Leo uenatur lupos, Sic ordinaria imperia & gubernatores politici debent tollere Latrunculos, & noxios seu sceleratos homines.

VII.

Legum autores omnes ueteres, quò plus autoritatis suis legibus adderent, deorum oraculis probatas asseuerabant. Minos fingebatur nouem annorum spacio Iouis usus familiari consuetudine, ab eoq; constituendæ Reipublicæ rationem didicisse. Licurgum ferunt, & ab Apolline Deum appellatum esse, & sua edicta $\rho\eta\lambda\alpha\varsigma$ uocasse, quod oracula uideri uellet. Numam aiunt cum Aegeria nocturnos habuisse congressus. Fingebantur hæc, ut cum diuino iudicio approbatæ leges uiderentur, pluris fierent.

VIII.

Sicut Athenis leges uiguerunt Solone gubernante: sic Romæ reuerentia legum mansit, donec Augustus uixit. Sed utroq; loco breui post ciues sunt oppressi tyrannide & leges conticuerunt. Nam Athenis, Solone etiam adhuc uiuo, Pisistratus rapuit

E domina-

I M A G I N E S.

dominationem. Sic post Augustum, mox tyranni aliquot per quam crudeliter grassati sunt in rempublicam. Hæc exempla sæpè mouent magnos homines, ut aut nullum, aut exiguum esse usum legum arbitrentur &c.

I X.

Doctor Henningus, qui fuit apud Ducem Saxoniae Fridericum, dicere solebat: Lex sine executione, ex sicut campana sine clipulo seu pistillo.

X.

Rex Alphonsus Hispanus habuit pro simbolo Pelicanum: quam auem dicunt pullos proprio sanguine uiuificare, cum editi sint exanimes, & adhuc sine motu, sicuti etiam catuli Leonum. Sic leo ingenti rugitu & halitu catulos animat & uitam addit. Pelicanus autem sibi fodit pectus, & fundit sanguinem in pullos, quo ipsi uiuificantur. Hoc pinxit Rex, & adscripsit symbolum: Pro lege, & pro grege: significauit hoc simbolo, bonum principem debere cum periculo uitæ religionem & subditos defendere. Sic illi heroes dimicarunt: nos tantum quærimus aliena bella.

XI.

Symbo

I M A G I N E S.

Symbolum Maximiliani Imperatoris est,
Tene mensuram, & respice finem.

X I I.

Caroli V. Imperatoris sunt duæ colum-
næ Herculis, cum subscriptione: Plus ultra.
Quid ipse hoc symbolo significare uoluerit
(inquit Dominus Philippus) ignoro. For-
tassis putat restare aliam uitam post hanc
uitam. Non intelligamus, eum aliquid uelle
pro sua sapientia ultra mediocritatem.

X I I I.

Symbolum Rodolphi optimi Principis
in Dessauu, pinxit Leonem, & ante eum uir-
ginem sub quercu nudam, cui Leo pedem
porrigebat, & uirgo timida semper uereba-
tur, ne à Leone discerperetur.

X I I I I.

Dux Ferrariensis cudit aureum cum in-
scriptione, quæ Dei Deo, & quæ Cæsaris
Cæsari.

X V.

Friderici Imperatoris symbolum est T.
Q. P. Tantum, quantum possum, significa-
uit non esse tentanda maiora uiribus.

X V I.

Ducis Iuliacensis, Spartam nactus es,
hanc orna.

E 2 Ducis

I M A G I N E S.

X V I I.

Ducis Saxoniae Iohannis Friderici, Fide,
sed cui, Vertraue / vnd nicht zu viel.

X V I I I.

Imperatoris Ferdinandi, F. I. E. P. M.
Fiat iusticia, & pereat mundus.

X I X.

Duces Saxoniae illud usurparunt: V E R.
B V M D O M I N I M A N E T I N A E.
T E R N V M.

D E Q V I N T O

Praecepto.



lit

I M A G I N E S.

I.

Est naturalis inimicitia inter Cygnum & Aquilam. Cygnus non prouocat Aquilam, sed sæpè uincit prouocatus. Cygnus significat oratorem, uel bonum senatorem. Aquila significat atrocem gubernatorem. Est odium inter amantes pacem, quietem & iusticiam, & inter turbatores quietis.

II.

Iræ uero frenum iniicitur, quando prudentiam & consilium adhibemus in curriculo omnium negociorum. Videlicet Pegaso indomito aureum Palladis frenum iniicere, & Draconem igniuomum pharmaco Medorum ex Promethei cruore confecto sopire, uel cerbero latranti offam medicatam Sybillæ obijcere.

III.

Anno 1554. die 30. Iulij, narrauit Dominus Philippus sibi scriptum esse hoc horrendum facinus, quod accidit in oppido quodam Misniæ: ibi duo nobiles amici unà potauerunt, deinde inter potandum orta inter eos rixa, alter fauciauit alterum, ut statim moreretur. Cùm uero aufugisset homicida, pater cognito interitu filij sui, statim conscendit equum (quia fuit præfectus in illo loco) uolens ulcisci necem filij, inter insequendum

I M A G I N E S.

quendum excussit eum equus, ut laberetur humi, ac ceruicem frangeret. Hæ poenæ diuinæ sequuntur ebrietatem.

I I I I.

Monetarius mouit seditionem, in qua admodum miserabiliter perijt. Cùm enim Comites Stolbergenses suspendissent eius patrem, ipse ob ignominiosam patris necem, odio incensus, inuasit illorum comitatum, uolens eum ui ad se transferre. Adhæserunt uero ipsi multi homines, qui propè oppidum Franckenhufen trucidati sunt: ipse uero alligatus curru, decollobatur. Cum unus ex aulicis nostri Principis Saxoniae propius ad eum accessisset, qui ipsi notus erat, petiuit ut sibi adferret potum, quo allato, in tanto dolore & metu mortis duodecim cantharos aquæ exhausit.

V.

Fœdera apud omnes gentes sancta atq; inuiolabilia fuerunt. Quib. autem, & quam uarijs ritibus ab antiquis ferri soleant, passim apud Homerum, aliosq; Poëtas & historicos uidere licet. Hoc unum in præsentia admonendi estis, quod plerumq; in fœderibus conuiuia in mutuæ beneuolentiæ symbolum adhiberi soleant. Nec solum ho-

stes

I M A G I N E S.

stes ad concordiam redeuntēs, sed commilitones quoq; & socij in præsentī periculo constituti, atq; in hostes ituri, prius hoc sese mutuo beneuolentiæ uinculo obstringere & deuincere solēt. Sic apud Homerum, post reconciliationem Agamemnonis & Achillis, elegans ab hoc recitatur uersus, græcos ad prælium præparantis:

Nūc uero abite ad cœnā, ut congregemus Martē.
Sic etiam mensa Christi, tessera quædam esse debet in nos amoris atq; beneficiorum, & mutuæ quoq; inter nos beneuolentiæ, & sub uno capite Christo mystico corpore unionis. Verum hoc, proh dolor, tempore pleriq; contentiosi hoc institutum adeo detorserunt ac peruerterunt, ut ipsi nos mutuo laceremus atq; conficiamus. Cū autem omnia fœdera icta sunt cum aliquo ritu, tum præcipuè mensæ debent esse mutuæ beneuolentiæ symbola.

V I.

Conuenerant aliquando Leo, Equus, Vulpes & Asinus, ut quidquid prædando consequerentur, id totum inter se diuiderent. Contigit paulò post, ut taurus se illis in prædam offerret: quo dilaniato, Leo iussit asinum diuidere prædam, & cuiq; par-

I M A G I N E S.

tem debitam tribuere. Asinus ut simplex & rude animal, fecit diuisionem secundum proportionem Arithmeticam, & cuiq; æqualem attribuit partem. Ibi iratus Leo inquit: Quis te ita iussit partiri, & mihi non plus tribuere qui tamen maximè laborauerim? discerptoq; Asino, iussit Equum partiri, Equus erat æquus: id est, seruabat proportionem Geometricam, & dabat Leoni duas partes: alteram quæ sua erat, & alteram discerpti Asini. Leo ægreferens hanc etiam diuisionem, innuens sibi plus esse tribuendum, siquidem Rex esset, lacerauit etiam Equum. Vnde postremò Vulpi diuisio est demandata. Vulpes cauta erat, quæ congestis omnibus partibus in unum aceruum, inquit ad Leonem, Hæc erit tua pars. Ait Leo: Quis te hoc docuit? Respondit, hi doctores docuerunt: Monstrans simul Asinum & Equum. Quæritur an recte fecerit Leo, discerpens equum & asinum. Sed breuiter respondetur, quod illa communiter fiant in uita, ut plerunq; potentiores inferiores, (si quando ineant cum eis familiaritates) premant, iuxta commune prouerbium Germanicum, *Mit grossen Herrn, ist nicht gut kirschen essen.*

V I I.

Forte

Y M A G I N E S.

Fortē in uia conueniunt cæcus & claudus, ubi cum sine duce progredi cæcus non posset, claudus etiā uehiculo opus esset, retinebatur uterq; suo malo. Videt autem claudus cæcum ualidos lacertos, firmos pedes, deniq; robur integrum corporis habere, nec quidquam morbi in eo hærere, nisi quod oculis captus erat. Quare prudenter inijt rationem, ut inter se communicarent operas, & alter sarciret id quod deerat alteri: ut cæcus in humeros tolleret claudum, claudus uiaē monstrator esset. Exponit consilium suum cæco, & suam operam pollicetur. Etsi fortuna imponebatur non leuis cæco: tamen cum humanitate socij caperetur, non detrectat hanc conditionem. Ac sublato in humeros claudus, pergit, & gubernat eum claudus. Ita amanter comunicatis operibus, iter susceptum conficiunt. Hæc est imago beneficentiæ & beneuolentiæ mutuæ in Republica.

V I I I.

Rex Alfonsus solitus est dicere de mediatoribus, eos similes esse habitantibus in medijs ædibus, qui perfundantur lotio à superioribus, & læduntur fimo ab inferioribus. Sic plerunq; mediatores utrunq; læduntur, sicuti uespertilio laceratur à muribus & auibus.

E s bus.

I M A G I N E S.

bus. Fuit hic Rex ita sapiens & bellicosus, ualens consilio & potentia, ut haberetur unus ex præstantissimis Principibus illius ætatis.

I X.

Est etiam ingratitude peccatum contra quintum Præceptum. Extat Apologus de quodam naufrago, qui cum inter fluctus & procellas Deo promississet ἀντίδωρα supra facultates, postea in portu ridens dixit, Se neminem uidere, qui promissa postulet, & Deum falsa mole placari posse. Talis ingratitude nequaquam est in Dauide, qui & agnoscit, à quo seruatus sit, & promissa εὐχαριστία optima præstat, inquit enim in Psalmo 66. Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi uota mea.

X.

Narrant Physici, in Coruo tantam esse ἀσοφγίαμ, & naturæ immanitatem erga cognatum sanguinem, ut deserat pullos implumes, quos interea Deus mirabiliter alic uermiculis natis ex stercoreibus, & ex cadauerum carnibus in nidos congestis, donec adulti ad uictum parandum euolare possint. In hac pictura nobis multæ aliæ commonefactiones, quæ nunc silentio prætereō, ob oculos proponuntur.

X I.

Dauid

I M A G I N E S.

David inquit in Psalmo 133. Sicut oleum
preciosum super caput, quod descendit in
barbam Aaron, quod descendit in oram ue-
stimenti eius. Sicut ros hermon, qui descen-
dit in montem Sion.

Vt enim balsamum non solum suauita-
te odoris, sed & facultate sanandi uulnera, o-
mnium plantarum succis longè præstat: ita
duo sunt Ecclesiæ summa bona ὀρθοδοξία & ὁμολογία. Deinde, quemadmodum ros na-
tus ex temperatè calido & frigido uapore,
suauem quandam & leuem humectationem
terræ affundit, qua agri estu diurno pene ex-
hausti recreantur, & nouam uim accipiunt:
Ita concordia docentium suauiter Ecclesiam
reficit & recreat.

X I I.

Nota est à Liuiio sæpè usurpata simili-
tudo, qua multitudo mari comparatur, au-
tores seditionum, uentis. Vt enim mare per
se tranquillum uentis concitatur: sic multi-
tudo tribunitijs clamoribus facillè ad sedi-
tionem impellitur. Hos uentos Deus com-
primit, ne tempestate coorta, Rempubli-
cam in scopulos inferat.

X I I I,

Nunc ut Vlysse dormiente, cum socij
utrem in quem Aeolus uentos incluserat,
aperiunt,

I M A G I N E S.

aperiunt, eruperunt in contrarias oras, Boreas & notus, Eurus & Argestes, & inter se certantes ex imo mari contrarios fluctus excitarunt, quibus quassata nauis postea fracta est: ita scribentium dissidijs quassatur & laceratur Ecclesia. Et quotidie crescit rabies, qua ex re quid aliud ratiocinari possumus, quam quod in Sophocleo carmine grauissimè dicitur,

*Vbi petulanter facere quod libet, licet,
Legumq; uox & ira uindictis Dei
Ridentur, ac inane nomen est pudor,
Magno ruet uentis secundis impetu
Mox in profundum mersa tota ciuitas.*

X I I I.

Pallas apud Sophoclem ostendit Vlyssi Aiacem inimicum, in media strage pecudum, quas pro principibus Græciæ per furorem maclauerat, discursantem & duos egregre grandiores arietes, cum alterum Vlyssesem, alterum Agamemnonem putaret, flagris cædentem, & interrogat ipsum, ecquam uoluptatem capiat, cum inimicum suum ita in furorem actum, miserumq; ac calamitosum uidet. Cui Vlysses respondet, sibi neutiquam lætum, sed triste magis id spectaculū uideri: primū, quod cum cōmiseratione spectet huius uiri, etsi inimicus sit, tamen

I M A G I N E S.

tamen tanta uirtute præditi, miserandam sortem: deinde quod suæ quoq; conditionis hoc exemplo admoneatur, & uideat quanta sit humanarum rerum fragilitas, & quam homines, qui uiuunt, nihil aliud sint, quam uelut inania simulacra, & leuis fumus. Laudat hunc sermonem Minerua: Et si tu hoc inquit, animo fueris, superis charus eris, & uitam feliciter exiges tuam. Nam Deus insolentes & uindictæ cupidos odit. Mites uerò, & moderatè agentes, diligit. His uocibus Vlyssi clementiam modestiamq; Minerua commendat, quæ uirtus non abs re tantopere prædicatur, quam enim diuina & præclarissima est, tam rara, & id quòd dicitur reuera heroica uirtus est, utpote quæ paucis & non nisi heroibus contingit. Magna enim uis est iræ, imperiosa cupiditas uindictæ, præsertim si cum nocendi facultate coniuncta est. Has igitur pestes, hæc monstra in nobis ipsis grassantia, uincere, non ne herculeum est opus &c.

X V.

Pictura illorum, qui alios opprimere non dubitant, est in Polyphemo, qui Vlysem in antro concludere tentauit.

DE

IMAGINES.
DE SEXTO PRAE-
cepto.



I.

Apelles Venerem pictam, stantem in testudine, pinxit: significare uolens, sexum muliebrem non debere, neque posse procul uagari: sed debere se domi continere, & respicere ad eas res propriè, quæ ad gubernationem œconomix pertinent. Sicut enim testudo nunquam discedit à domo: sic mulieres in domibus suis se contineant, & non expacientur.

Hippo-

I M A G I N E S.

I I.

Hippolytum filium Thesei, natum ex
 priore coniuge, Phedra nouerca inuitauit
 ad incæstam consuetudinem, sumto ab eo
 iuramento, ut nouercæ petitioni obsequere-
 tur. Sed mens mansit iniurata: id est, non po-
 tuit, quantumuis sanctè promittendo, obli-
 gari ad aliquid turpe. Nemo enim potest
 iurare rem aliquam turpem: & præclarè fe-
 cit, quod auersatus sit incæstam nouercæ
 consuetudinem. Sicut Hippolytus etiam à
 se nouercæ illicitas libidines repulit. Sic Pe-
 leus recusauit rem habere cum uxore Aca-
 sti. Vnde cum illa ob repulsam irata falsò
 accusasset eum apud Maritum Acastum, hic
 male suspicans de eo, obiecit ipsum centau-
 ris: ubi dicunt, diuinitus ipsi esse missum
 gladium, quo uicit centauros, id est, Deus
 dans præmia castitati, defendit Peleum in
 maximis periculis. Sic Bellerophontem in-
 uitauit ad consuetudinem turpem uxor
 Creti, quam cum negaret, ipsa eum accusa-
 uit apud uirum, à quo obiectus est chimæ-
 ræ. Verum diuinitus missus est ei Pegasus,
 quo uolans in aëre uinceret chimæram. Hęc
 sapientissimi homines tradiderunt, ut osten-
 derent, quanta præmia sint castitatis, & De-
 um dare testimonia innocentia.

Non

I M A G I N E S.

III.

Non dubium est, in picturis contineri certas significationes, ut de Pardale, quæ & sagax est & animosa, & celeritate insigni prædita, audet occurrere armato uenatori, & celeritate excutit tela, nec ui capitur, sed opprimitur ebria. Quia enim Pardalides sunt auidæ uini, Venator in loco uicino eius bestia latebris, uinum fundit, postea longiore interuallo, collocat cymbia plena uini. Statim odor elicit ex antris Pardalides, quæ cum ad cymbia uentum est, hausto uino, accensæ discurrunt, ludunt una & coeunt. Deinde ebriæ & coitu defatigatæ, sopiuntur, ibi sopitas opprimit uenator. Huius rei luculenta descriptio est apud Oppianum. Quæ potest autem cogitari imago illustrior regum Macedonicorum plurimorum. Sagacitate, hoc est, solertia & consilio, uix ulli duces antecelluerunt Philippo & Alexandro. Deinde quod decreuerant re cogitata, & occasionibus prospectis, celerrime suscipiebant, quæ uirtus in ducibus plurimum pollet. Erant autem in dimicando acerrimi & inuicti. Postremo uerò uoluptatibus perire, alter uenere, alter temulentia, Tales & postea fuerunt Demetrius, & posterior Philippus. Nec raro accidit, ut uiri præstantes
cum

I M A G I N E S.

tum in rebus agendis acerrimi fuissent, & nec periculis ullis nec laboribus succubissent, postea tamen uoluptatibus fracti, calamitosos & tragicos exitus habuerunt.

IIII.

Duplex est poematis Homericis argumentum: alterum Ilias, alterum Odyssea inscribitur. In Iliade Plutarchus robur corporis, in Odyssea uires ingenij celebrari ab Homero existimat. Describitur autem in Iliade bellum, ut fama nobilissimum, ita honestum ac pium, quod Græci contra barbaros pro defensione pudicitiae conjugalis, ut ulciscerentur adulterium, & uiolatam hospitij fidem, gesserunt.

V.

Xenophon scribit, Lacedæmonios in institutis suis præcepisse, ut pueri in publico manus intra uestes continerent, nec deicerent oculos ab his quæ ante pedes essent. Et ait duo hæc instituta esse, ut ad uerecundiam, pudorem & modestiam, à prima statim pueritia assuefierent.

VI.

Olim in rebus publicis clarissimi ciues acerrimè uetera instituta defenderunt. Quoties enim Romæ sumptuariæ leges prolatae sunt, ut more maiorum uestiret se ciuitas?

F Cato

I M A G I N E S.

Cato quanta contentione tuetur legem Op-
piam apud Liuium, quæ modum sumti-
bus mulierum præscribebat?

V I I.

Apud Virgilium, cum mollitiem obij-
cit Troianis Turnus, à ueste coniecturam fa-
cit. Animaduenterunt enim docti uiri, ser-
monem, habitum, incessum, & alios motus
corporis tanquam actionem esse animi, in
qua uelut in speculo cuiusq; natura cerni
posset. Sic & Ecclesiastes dicit: Amictus, ri-
sus, & incessus produnt hominis ingenium.

V I I I.

Turcicus Imperator iussit sibi aliquando
omnium gentium habitus pingi. Cum
itaq; pictor gentium plurimarum uestes de-
pinxisset, tandem pingit nudum hominem,
& iuxta eum uarios pannos. Iussit igitur
Rex interpretari illam picturam nudi homi-
nis, cum exposuisset cæteras imagines, tan-
dem dixit: nudum illum Germanum esse,
cui certa forma uestitus pingi non posset,
quòd quotidie nouam excogitaret.

I X.

Doctoris Martini Lutheri de ducendis
choreis iudicium. Choreæ sunt institutæ &
concessæ, ut ciuilitas discatur in frequentia,
& discant Adolescentes uenerari foemine-
um se-

I M A G I N E S.

um sexum, atq; contrahatur amicitia inter
Adolescentes & puellas honestas, quò po-
stea certius eas ambire possint. Papa damna-
uit choreas, quia aduersarius fuit nuptijs le-
gitimis. Ideo simul ad nuptias inuitantur,
etiam honestæ aliquæ matronæ & uiri, qui
sunt spectatores, ut omnia modestè fiant.
Sed unum est, quod mihi in ducendis cho-
ris displicet, & uelim id publicè à Magi-
stratu prohiberi, ne adolescentes in gyros du-
cerent puellas, præsertim in publico, multis
spectantibus.

X.

Fera etiam quædam in illis septentrio-
nalibus ac sarmaticis oris inueniri dicitur,
immani uoracitate: quæ cum in prædam
aliquam incidit, eò usq; cibo immodicè in-
gesto distendit uentrem, ut parum absit,
quin crepet. Deinde inter angusto spacio di-
stantes arbores transiens, uiolenta ibidem
compressione, crudum illum cibum iterum
per anum exprimit, itaque sese exonerat,
quod nisi faceret, periculum uitæ erat. Estq;
hæc omnino fœdissima uentris ingluuies
huiusmodi bestię. Sed ea haud dubiè ima-
go quædam est intemperantiæ ac morum
earum gentium, de quarum immanibus
conuiujs horribilia, sed tamen à uero non

F 2 abhor-

I M A G I N E S.

abhorrentia narrantur. Raro transire sympo-
sium sine multis cædibus: si quis propina-
rum dolium haurire cesset, illi à proximo
quoq; compotore protinus necem immi-
nere: si quem interfecerint, non propterea
conuiuium dissoluitur, sed prouoluto in
mediam trunco corporis, & impositis ali-
quot nummis (is apud eos mos est) helua-
ri pergunt. Malos etiam genios inter eos,
cum agitant conuiuia propalam obambu-
lantes conspici dicunt, maiore quam huma-
ni corporis imagine, quos illi nihil exhor-
rentes, pro focijs ac conuiujs salutare solent,
& coeptum conuiuium per multos ex ordi-
ne dies noctesq;, uno tenore continuare. Hæc
si quis apud sanos, & sobrios homines, &
istarum barbaricarum heluationum igna-
ros referat, fabulam ad aliorum terrorem
confictam, narrare uideatur: Non enim faci-
lè credi potest, tantam feritatem & immani-
tatem cadere in humanam naturam. Sed
qui uiderunt, ac talibus conuiujs sæpè in-
terfuerunt ipsi, hi, & hæc uera esse, & his
horribilia fieri etiam adfirmant.

X I.

Et quia in sexto præcepto Matrimonium
certis metis & limitibus includitur, pulcer-
rimam subiungam imaginem, quid copu-
latio

I M A G I N E S.

latio Maris & Fœminæ, iuxta Christi ordinationem legitima nobis proponat. D. Paulus ad Ephesios capite 5. scribit: Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ, Mox addit, Mysterium hoc magnum est.

I. Vt Eua conditur ex costa Adami, quam Deus ex ipso, cum profundo somno sopitus esset, desumpsit: Ita per mortem filij Dei Ecclesia restaurata & condita est.

II. Sicuti de coniugio scriptum est, Relinquet homo patrem & matrem &c. Ita filius Dei cum in sinu æterni Patris, & in cœlesti gloria esset, non quidem cœlum deserens, ad nos descendit, & humanam naturam induit, ut simus os de ossibus eius.

III. Sicuti inter coniuges uerus & ardens amor esse debet: Sic filius Dei, uero, non simulato amore, Ecclesiam complectitur, quem amorem testatus est hoc, quòd naturam humanam induere non erubuit, nec diligit alias sectas.

III. In coniugio bonorum & ærumnarum est societas, Christus autem nostra mala & peccata, iram Dei, pœnam & mortem, in se translata à nobis abstulit, suaq; æterna bona, iusticiam & salutem Ecclesiæ donat. Ipsa uero uicissim pro his bonis ei grata esse

F 3 debet,

I M A G I N E S.

debet, ut eum celebret, inuocet, ueram doctrinam propaget, & in cruce obedientiam præstet.

V. Ut coniugium præcipuè propter generationem & propagationem generis humani est institutum: ita filius Dei per uerbum & Spiritum sanctum ministerio Ecclesiæ subinde noua membra generat. Et quemadmodum in matre erga liberos ardentissimæ *σοφῶν* sunt, & uicissim in liberis erga matrem: ita in doctoribus materni debent esse affectus, ut nihil nisi sanam doctrinam auditoribus proponant, hominum salutem quærant, pacem & ueritatem ament. Econtra auditores debita reuerentia & obedientia pastores prosequantur.

VI. In coniugio maximè *ἐπιείκεια* necessaria est, qua maritus uxoris infirmitatem, næuos & errata tolerat, tegit & emendat. Hoc reuera uidemus in filio Dei.

VII. Mariti est defendere uxorem, cuius caput est, Sic etiam nos filius Dei defendit aduersus omnes incursiones Diaboli.

VIII. Postremò, Ecclesia non solum Christo perpetuo foedere coniungitur, sed etiam æternus Pater propter Filium recipit, & tanquam filiam diligit, & amplectitur eam: sicut pater aliquis filij sui sponsam aut coniugem

I M A G I N E S.

gem, pro filia sua habet, & non minus, quam ipsum filium diligit.

Est hæc pulcherrima imago coniugij, quæ in omnibus molestijs & ærumnis, quarum plenum est coniugium, nobis dulcem consolationis auram afflare potest. Deinde omnes Monachi & Hypocritæ, qui coniugium tanquam prophanum uitæ genus uituperant, merito rubore confundantur.

Virtus est eximia, & Deo grata, castitas in matribus & fœminis qualibet ætate. Ac tantum decus eam uirtutem & uetustas ethnica esse iudicauit, ut Bacchylidis uersus celebrati sint: quorum sententia sic est reddita.

*Vt cùm de statua facies formosa remota est,
Non decus in reliquo corpore truncus habet:
Sic reliqui mores spreti sine honore manebunt,
Ni sint ornati laude pudiciæ.*

SEQVITVR NVNC SEPTI- mum Præceptum.

I.

Imperatoris Ferdinandi symbolum, Fiat iusticia, & pereat mundus. Ergo quisq; sit contentus sua sorte, non ui, uel dolo alterius opes ad sese trahat, quod tamen multi facere non erubescunt.

F 4 In pi-

I M A G I N E S .



I I.

In picturam Tantalii :

*Damnatus refluis ut uiuit Tantalus undis,
Dum nequit ambigua carpere fronde cibum.
In rebus diues sic multis uiuit auarus: (pit.
Non habet id quod habet, nec quod habere cupit.
Quam primum crescit nummi furiosa cupido,
Inter opes positus diues auarus eget.*

I I I.

Apophthegma Cæsaris Maximiliani,
Archiducis Austriæ.

*Q. Cur sua quæstori curanda numismata credat,
Quæsitus Cæsar Maxmilianus? ait.*

R. Est

I M A G I N E S.

*R. Est commissa mihi populorum cura meorum,
Nummi spes animum non subit ulla meum.
Error in occluso latet irremeabilis auro,
Quem tenet ex magno iam duce seruus abit.
Felicem turpis quem non capit ardor habendi,
Mille pericla domi, diues auarus habet.*

I I I I.

Cyclopes & Centauri sunt imagines illorum, qui nulla uincula legum curant &c.

V.

Theseus lauans interfectorum ducum corpora, reprehensus, quod id sordidum ministerium non relinqueret seruis, inquit: οὐκ ἀχρὸν ἀνθρώποις ἑλληῶν κακὰ. Est pulchra imago, nos comonefaciens, ut omnem beneficentiam praestemus miseris & calamitosis. Quod bonum opus etiam in 7. Praecepto à nobis requiritur.

V I.

Vitare etiam unusquisque debet materiam atque causam huius peccati, uidelicet otium. Qua de re habemus adeo pulchram imaginem in Primo Tomo Declamationum D. PHILIPPI, ut pulchrior esse non possit. Formicae colligendi uictus tempora intelligunt, proinde aceruum frumenti in Messe comportant, condunt, com-

F 5 parantque

I M A G I N E S.

parantq; in hyemem, præuident enim hyeme in uacuis agris frustra se pabulum quaesituras esse. Onera morſu gerunt, longè maiora, quàm pro corporis portione ferre poſſe credibile eſt. Quædam grandiora protrudunt, tota corporis mole obnixæ: ſemina priuſquam condant, arrodunt, ne ruruſ exeat in fruges è terra, madefacta imbre proferunt atq; ſiccant. Nec noctu, plena luna uacuae ſunt. Viſq; adeo turpe ducunt feriari, ut nullum ſibi tempus idoneum labori perire ſinant. Interlunio ceſſant ab opere. Si quæ in itinere ferèdis granis grauatae ſunt, gregales norunt: & quoniam ſæpe tanquã ex diuerſis ciuitatibus in eadem uia conueniunt, in unũ aliquem locum omnes uniuerſum com meatum comportant, ibi ſua ſigna recognoſcunt, ibi uelut exercitum recensentes, agmina ſeparant, & ſuum cuiq; auhendum tradunt. Obuiae inter ſe quaſi colloquuntur, ac percontantur, donec agnoſcunt ſingulae ſuos ciues.

Nulla tam ſapiẽter conſtituta ciuitas fuit unquam, quæ ad hanc formicarum politiam conferri poſſit. Nam cum nullum urbi- bus uenenum nocentius ſit, quam ociũ, uide- tis hanc peſtem procul ab hoc animalculo abeſſe. Nunquam ardentiffimi æſtus à labore

I M A G I N E S.

bore absterrent, non noctu uacuae sunt, quod tempus alijs animalibus natura ad quietem dedit. Non magnitudine itinerum, aut asperitate uiarum defatigari se patiuntur. Sed saepe ex longinquo frumentum conuehendum est. Saepe per confragosa saxa, magni graui grana in aduersos montes protrudenda sunt. Ita omnes difficultates, non uirium magnitudo, non corporis moles, sed animi robur, & industria superat, ut appareat, hic etiam uerum esse id, quod apud historicum quendam: Nihil tam altum à natura constitutum est, quò non possit uirtus eniti. Non dubium est autem, cum ut omnia ex ocio uitia nascuntur: ita labor pleraque pulcherrimas uirtutes gignat. Proinde nec caeterae uirtutes desunt huic generi. Quis enim non uidet singularem iusticiae intellectum in eis esse? quia certos dies constituunt recognoscendis oneribus, ut cuique agmini suum tenere sine iniuria liceat. Facile enim est ab alieno abstinere his, quibus in sua uirtute industriae spes posita est: Sed illi qui cum per luxum atque libidines sua effuderunt, postea rationem ineunt, quomodo de alieno heluentur, Hinc in ciuitatibus nouae tabulae flagitatae, bella ciuilia & innumera-
bilia alia mala, quae ciuium discordia parit,
nata

I M A G I N E S.

nata sunt. Quid autem de parsimonia for-
 micarum dicam? quæ in hoc genere maxi-
 mè cernitur, Non enim tantùm in præsens
 sibi consulunt, Sed comparcunt, & prospici-
 unt sibi in futurum: Quæ uirtus cum per
 sese magna sit, & mirabilis: tamen hoc eti-
 am gratior esse debet omnibus, quod iusti-
 ciæ ueluti custos est. Neq; enim tolerare in-
 finitos illos sumtus sine alieno decoctores
 possunt, Sed longè dignissima bono ciue
 uirtus est, in commune quærere, & commu-
 nia bona summa diligentia augere. Quæ
 res enim alia omnibus ciuitatibus exitio
 est, quam quod priuata bona, publicis uti-
 litatibus pleriq; omnes anteferunt? Atqui
 ita nos sentire oportet, quoniam patriæ sa-
 lute, nostra salus continetur. Et quoniam
 ipsi in patria in qua nati, educati, ad huma-
 nitatem & religionem instituti sumus, cuius
 legibus uitam nostram, ac fortunas defen-
 dimus, tam multa beneficia accepimus:
 æquum est, ut nos etiam illius utilitates pro-
 uirili iuueamus, imo quidquid aramus,
 quidquid serimus, quidquid metimus, ad
 patriæ utilitatē referendū esse existimemus.
 Deniq; illius salutem, ac tranquillitatem an-
 tiquiorem dignitate, ac salute nostra, duca-
 mus. Hanc uirtutem licet in formicis cer-
 nere

I M A G I N E S.

here ad communem usum, assiduas operas conferentibus. Videtis quam multarum uirtutum exempla nobis Formicæ proponant, ad quam imaginem si maximam hominum partem cōtuleris, quotus quisq; erit his uirtutibus præditus? Bona pars uoluptatib. atq; otio dediti, nulla de re in omni uita sunt solliciti, quam de conuiuio apparando, aut alijs similibus uoluptatibus comparandis. D. Philippus in primo Tomo Declamationum.

V I I.

Nouistis Fabulam Fortunati, qui reliquit filijs suis duos thesauros, Vnum Marsupium, ex quo poterant proferri decem ducati, quotiescunq; possessor uellet: Alterum Pileum, quem cum accipiebat aliquis erat ubicunq; uolebat. Ille, qui hoc figmentum excogitauit, uoluit significare duas maximas cupiditates: unam, appetitionem facultatū inexplebilem, alteram, curiositatem. Omnes enim sumus natura auari & curiosi, & hæc est excellentium ingeniorum, magis quam aliorum: auaritia uero magis est fœdidorum.

Nunc sequitur Octauum Præceptum.

Rosæ

I M A G I N E S.



I.

Rosæ & sermonis nostri est quædam similitudo. Vt enim in rosa est candor, ita in oratione proprietas & candor inesse debet absq; omni fuce. Deinde sicuti suauem odorem spargunt rosæ: sic etiam noster sermo prodesse debet multis, nocere nemini. Postremo sicuti rosæ quasi sanguine intus conspersæ uidentur: ita cogitabimus aliquem uitam suam & aliorum suo sermone conseruare posse, & econtra in discrimen ponere, quando non consideres, quid, cui, ubi, quantum & quare dicas.

Vete.

I M A G I N E S.

I I.

Veteres Euripidis Tragœdiam, cui titulus est Orestes, inter præcipuè illustres huius scriptoris fabulas numerarunt, & quidem non immerito. Nam tantum in ea est salutaris doctrinæ, tam uenustæ imagines, tam graues sententiæ, tam denicq; multa & splendida orationis lumina, ut nulla facile huic palmam præripiat. Pingitur autem calumnia, & quanta eius ad nocendum potentia sit ostenditur. Orestes enim & Electra soror, & Pylades amicus, per calumniam circumuenti, iniquo iudicio condemnantur. Atamen cum ad discutiendum id periculum uaria agitassent consilia, tandem diuinitus liberantur. Nam calumnia, ut aliquantisper quidem errore audientium multum potest: Ita progressu temporis eius uires labefactæ, tandem eliduntur, iuxta sententiam Demosthenis. Διαβολὴ καὶρῶ μὲν ἰσχυρὰ μὲν ἔργα ζετῆ τοῖς ἀκόσμιον πλὴν ὑπόληψιν, ἄσόντων ἢ πάντων ἀσθενεστέρα γίγνεται. Pinguntur autem in hac fabula plura genera calumniæ &c.

I I I.

Carmen D. Philippi, scriptum anno 1557.
die 23. Augusti, in itinere, ad Rectorem Academiae Marburgensis.

Vt uero

I M A G I N E S.

Vt uero Isacida concessit Amygdalus umbram,
Vrbis & exiguae ius dedit hospitij.
Sic nos excipiat fessos Academia uestra,
Quae candore suo uincit Amygdalinum.
Non fertur casu natura sine ordine, sed mens
Formatrix rebus signaq; uinq; dedit.
Fructus Amygdalinus foris est lanugine cinctus,
Dura magis sub qua lignea claustra iacent.
Nucleus in medio suauis latet, atq; salubris,
Qui cibus est nobis & medicina simul:
Prima aetas molli doctrinae uoce regenda est,
Iucundisq; typis, ista putamen erunt:
Durius hinc custos lex est, sentesq; trucidat,
Ac omnes homines iudicat esse reos.
Seu trepidis Euangelij uox grata medetur,
Haec sunt Isacidae significata seni.
Ergo scholae similis credatur Amygdalus esse,
In qua doctrinae uox sonat una Dei.
Cognuit hoc etiam, uulpes quod Amygdalae amarae
Gustatae subita morte necare solent:
Sic schola flexiloquos extinguit casta Sophistas,
Ars quibus Archilochi uulpis et acta placent.

I I I I.

D. Philippus in Tomo IIII. Declamatio-
num, in oratione de legum fontibus
& disciplina.

Quanta grauitas Labeonis fuit, qui etfi
sensit Augusti animum offendi, si quando
eius

I M A G I N E S.

eius sententijs aduersabatur, & uidet sibi præferri Capitonem æmulum suæ gloriæ, tamen constantiam in dicenda ueritate retinuit.

V.

Cassium Longinum Caligula relegauit. Deinde Nero circumuentum falso crimine, & orbatum oculis iussit deportari.

VI.

Papiniani uerò constantia maior etiam fuit, qui cum certò sciret futurum, ut à Tyranno interficeretur, nisi parricidium excusaret: tamen ceruicem porrigere, quàm sceleratè facere maluit. Nam Bassianus Imperator, cum fratrem suum uirtute præstantem, in ipso sinu matris interfecisset, conficto aduersus eum crimine insidiarum, iussit ut in senatu à Papiniano, cuius summa erat autoritas, excusaretur. Quod cum Papinianus facturum se esse recusaret, statim eum Imperator interfici præcepit. Rara sunt hæc iusticiæ constantiaeq; exempla, ut excellens uirtus omnibus ætatibus rara est. Sed tamen aliquos semper hic ordo magnos uiros habuit, qui iusticiam & ueritatem fauori regum prætulerunt. Nec quisquam nostrum est, quin aliquando in odia potentum incurrat. Quod cum accidit, exemplis illis præ-

G stantium

I M A G I N E S.

stantium uirorum, qui atrociora tulerunt, nos confirmemus, ne perterrefacti minis aut odijs, ad seruilem & flagitiosam adulatio- nem nos assuefaciamus.

V I I.

Natiuum est odium inter Aquilas & Cygnos, nec tamen Aquila à Cygno prouocatur: sed sæpè uictor est Cygnus, cum illa lacerassit: ita nos quoq; repugnemus iniustis potentum cupiditatibus, quia iusticiæ est officium, ueritatem non proicere metu, aut assentatione: & quanquam non semper uincemus, tamen sæpè utile est Reipub: sapienter & moderatè aduersando iniustos impetus languescere.

V I I I.

D. Philippus. Quemadmodum aquilæ marinæ suos fœtus contra aduersus solis radios sistere dicuntur, quiq; per diem eos recto obtutu ferunt, pro suis fouent ac nutriunt, quos uerò ad lumen solis conuiuere uident, ut adulterinos & nothos in mare abijciunt: Ita Germani nostrum natiuum candom rem, naturam apertam ueri rectiq; ac lucis amantem, ueluti sanguini nostro generiq; tueri ac conseruare debebamus. Et si quæ inter nos ingenio tecto, obscuro, perplexo, ambagū ac tenebrarū amanti, esse uideremus,
eum

I M A G I N E S.

eum ut degenerem ac nothum odisse ac detestari.

I X.

Cardinalis quidem solitus est dicere, de his, qui aliud loquuntur & aliud meditantur: Est uox Iacob, & manus Esau.

X.

Cum Dionysius scripsisset tragœdias, exhibuit eas legendas Philoxeno poëtæ: Cui cum non placerent, libero animo id tyranno indicauit, ostenditq; illi errata. Ille iratus iussit eum ducere in latomias, & post aliquot menses inde exemit eum, iussitq; iterum indicare, ut suum iudicium de poemate diceret, cum & tunc indicaret & ostenderet ipsi errata ut antea, iterum eum abduxit in carcerem. Ille non fuit assentator.

X I.

Huc pertinet liber Erasmi Roterodami de lingua, qui continet multas pulcerrimas imagines, multa insignia exempla & historias, quantum utilitatis linguæ usus rectus & pius adfert, & rursus, quantum incensum, quantas procellas ac tempestates lingua creat & parit, quando gubernaculum rationis amittit, & incertis & dubijs agitatur fluctibus.

X I I.

Sicuti Basiliscus inficit res quascunq;: ita umbra malorum sæpè nocet bonis.

I M A G I N E S.

X I I I.

Dionysius habuit colacem, qui lingebat eius sputum. Tales omnibus temporibus reperiuntur.

X I I I I.

Capnio dicere solitus est de his, qui omnia uituperant, eos similes esse muscis: quæ omnia contaminant, & nihil profunt.

X V.

Cancer & serpens unà faciebant iter (id est, homo simplex & sophisticus) uidebat cancer, interdum progredi serpentem, interdum facere gyros. Cancer progrediebatur, iubebat serpentē recta uia incedere, ipsumq; sequi. Cū serpens non uellet rectè incedere, apprehendit cancer collum eius chelis, & eam strangulat. Sic corrigitur eius perplexus cursus. Iam eris rectus, inquit cancer, cum te hoc modo punio. Hoc est præmium sophistices.

X V I.

Nullus erit consensus piorum & impiorum. Quando facis chordam ex neruis lupinis, tunc illa chorda non sonabit uel concordabit cum chordis ouium. Ita nunquam concordabit uera Ecclesia cum Hypocritis. Nostræ chordæ semper dissonabunt à fidibus hypocritarum & impiorum.

Psal.

I M A G I N E S.

X V I I.

Psalmus 104. est precatio plena ardentis-
simorum affectuum, in qua petit, ut Deus
reprimat tyrannos & hypocritas, qui uelut
hæmorrhoides Tyrannorum iracundiam
aduersus pios doctores inflammant. Nican-
der in Theriacis ait, genus esse serpentum,
quod appellat Hæmorrhoidas. Sunt autem
exiguæ bestiolæ unius longitudinis pedis.
Sed ueneni tanta uis est, ut ab illis icto su-
dor erumpat cruentus toto corpore, ut ex
ore, naribus, uesica largè profluat sanguis, ut
sanguineas lacrymas extillent oculi, ut arde-
at incredibili inflammatione totum corpus.
Huius generis bestia cum in Aegypto ne-
casset nauclerum Helenæ, Heroica mulier
pede illam contriuit, unde & posteritas Hæ-
morrhoidum dicitur claudicare amissa spi-
na. In hac narratione proposita est imago So-
phistarum, qui incitant animos potentum
ad opprimendam ueritatem. Hoc ueneno
accensi principes, flammam odij concipiunt,
fiunt cruenti & furenter crudeles. Orat igitur
Psalmus, ne filius Dei sinat obrui lucem Eu-
angelij, & seruet Ecclesiam, in qua lucet uera
doctrina, & tandem illis Hæmorrhoidibus
spinam exterat.

G 3 Postea

I M A G I N E S .



I.

Postquam uero illa lux ualdè obscurata est in pectorib. nostris, quæ adesse debebat, sicuti non obscure apparet in illa parabola de faucio, qui in latrones inciderat: sæpè hac de re cogitationem suscipere, & nostram infirmitatem agnoscere & deplorare debemus. Et quanquam in Ethnicis crassæ fuerunt tenebræ, præsertim cum lux Euangelij illis non illuxit, & ipsi noctem potius amauerunt quàm diem: tamen imago aliqua obscura apud Poëtas reperitur, quæ exprimit illos aliquid à maioribus, de illis rebus

I M A G I N E S.

rebus maximis audiuisse: sed tamen nihil certi statuere aliqua de re potuerunt: sed tanquam fabulas imbiberunt, & postea ita sparserunt. Nota est Promethei fabula, quem fingunt Poëtæ, ignem Iouí sublatum reliquo generi humano communicasse, quæ omnium bonorum in tota uita origo fuit. Postea iratum Iouem propter sublatum ignem, Pandoram misisse, quæ omnis generis calamitates, in genus humanum sparserit. Vt autem aliás perspicuum est, Poëtæ grauissimam doctrinam, & complectentem magnam sapientiæ humanæ partem, his fabularum inuolucris texisse, hoc etiam commento doctrinam omnium summam proposuisse. Ignis à Ioue acceptus, lumen mentis seu ueras notíciás humanæ menti impressas significat, quæ mentem nostram, in inquirendis & inuestigandis ueris sententijs de Deo, de natura rerum, de moribus & communi uitæ gubernatione regunt &c.

I I.

Pertinent autem huc exempla in Poëtarum comœdijs & tragœdijs, quæ aliqua ex parte sunt imagines, Deum rapere ad pœnas malos, & econtra præmijs ornare decus & ornamentum uirtutis.

G 4 Quomodo

I M A G I N E S.

III.

Quomodo etiam repugnare debeamus malis affectibus, & uirtutum semitam ingredi, pulcerrimè docet cursus stellarum.

Cernimus magnam ἀτυθείαν, id est, alacritatem & promptum obsequium, seu fœdus omnium Planetarum cum Sole: Modò solem anteuertunt, tanquam legati & πρὸδρομοί, uel uix exploratores, ne quid insidiarum alicubi lateat, modò ad solem recurrunt, coniunguntur, incedunt ad latera, modò à tergo sequuntur. Ita in isto politeumate cœlesti omnia munia uel præcurrendi, uel stipandi, uel penè sequendi promptissimè suscipiuntur. Huius cœlestis satelliti obsequium & obedientia nos quoq; monet, ut quidquid est in nostris moribus barbarici, quidquid rebellionis & impatientix depouamus & exuamus, & Magistratui nostro similem obedientiam præstemus, nostros impetus, & affectus moderemur. Videmus deinde cœlestis chori, satelliti seu exercitus motus & conuersiones æquales esse, debemus igitur nos quoq; moderari nostras cogitationes, & ad certam regulam & moderamen cogere, ne luxurient nimium, aut petulanter ad quascunq; opiniones delabantur.

DE

IMAGINES.
DE VITA AETERNA.



L.)

Vtq; opifex cinerem cum granis miscet arenæ,
Et vitreum turpi puluere fingit opus:
Sic Deus hos cineres in corpus uertet amœnum,
Quod certet radijs splendide Phœbe tuis.
Labe carens, lethiq; expers quod surgat in auras,
Et conforme Deo uitam agat ante Deum.
Gratia debetur Christo, qui uictima factus,
Morte sua meruit cœlica regna mihi.

G 5 Erinae

I M A G I N E S.

I I.

Erinaceus mirificè fertur uentorum futuras procellas obseruare, contra quas se munit obstruendo diligenter cauernulas: utinam & nos præpararemus nos ad exitum huius uitæ.

I I I.

Ciconiæ recto & oportuno tempore migrant ante iniuriam & impetum hiemis: talis & in nobis potius cura & circumspectio esse debebat, quemadmodum Hieremias capite 8. hac de re concionatur, ut essemus prompti & parati, quando Dominus ueniet, ubi unusquisq; suam accepturus est mercedem: sicuti hac de re suauissime Christus docuit Iohannis 5.

I I I I.

Non dicam nunc uicissitudines temporum, uariationem luminis in lunari corpore, mutationem noctis atq; diei, esse imaginem pulcerrimam resurrectionis mortuorum. Sed hac de re fusius & uberius in prima parte audiuius.

Extæ

I M A G I N E S.

V.

Extat autem hac de re pulcerrima imago in Actis Apostolorum capite 27. in navigatione Pauli Apostoli, quam imaginem in oratione germanica, quam habui in obitu reuerendi uiri Domini M. Pauli à Rhoda, Superintendentis uigilantissimi, & de tota Pomerania præclare meriti, copiosius explicauit.

V I.

Huc pertinet Historia de Iosua, quomodo populum Dei in terram Canaan duxit, ubi non amplius Mannam comederunt. Huc pertinet Historia de Gedeone, Samsone. Addo etiam historiam de Elia, de Elifæo, qui puerum mortuum reuocauit in uitam, discipulus uerò hoc minimè potuit efficere.

V I I.

Esaiaë 27. Dominus Leuiathanem & Draconem in mari occidet &c. est typus extremi diei, ubi Satanam & Antichristum, qui cursum Euangelij remorari & impedire non dubitauerunt, ad æternam poenam sine ulla commiseratione rapiet.

In eo

IMAGINES.

VIII.

In eodem capite, reductio captiuitatis ex Babylone & Aegypto: est imago omnium propter Christum captorum & miserè interemptorum: isti in extremo die reducuntur ad coelestem Ierusalem &c.

IX.

Transfiguratio CHRISTI in monte Thabor, quam Matthæus describit capite 17. est insignis imago Resurrectionis mortuorum, & uitæ æternæ. Nam sicuti tunc Christi facies splenduit sicuti Sol, & uestimenta illius facta sunt candida sicut lumen: sic nostra corpora squalida, caduca, mortalia, peccatisq; obnoxia, erunt pulcherrima, firmissima, immortalia, nullis peccatis onerata. Deinde sicuti Moses & Elias dulcissima colloquia cum Christo habuerunt: ita in æterna uita fruemur præsentia, colloquioq; Dei. Postremò, sicuti Petrus auidè optabat illo in loco manere, nam gustum æternæ beatitudinis non obscurè habebat: Sic omnes pñ, qui ex hac ualle lacrymarum emigrarunt, summa cum lætitiâ coelestibus bonis fruuntur, adeò ut nunquam

I M A G I N E S.

quam optare possint patriam illam relin-
quere, & se rursus in hanc mundi sentinam
collocare. Ad quem portum, ut nos mox
filius Dei ducat toto pectore oro æternum
Patrem Domini nostri Iesu Christi: de quo
ipse Pater dixit: Hic est filius meus
dilectus, in quo mihi compla-
citum est: Hunc audite.

F

I N I

S.

DEO SIT GLORIA.



*Errata æquus Lector sic
corrigit.*

Pagina B 3. facie secunda, linea 9. pro ueno
lege fœno.

Pag. B 6. fa. 2. lin. II. pro simile lege similæ.

C 4. fa. 2. li. 16. pro postera, leg postrema.

C 6. fa. 2. li. II. lege, illa anniuersaria.

C 8. fa. 2. dictiones maximo & maximus, le-
gantur à principio cum M.

D 1. fa. 1. lin. 21. leg. semper.

D 4. fa. 1. li. 3. à fine lege, sui quoq̃.

Ibidem fa. 2 li. 6. le. sagacitate.

Ibidem lin. 15. pro raris le. naris.

D 8. fa. 2. lin. 13. le. seipsum in discrimen con-
ijcere.

E 1. fa. 2. lin. 10. pro ex, lege est.

E 4. fa. 1. lin. 5. le. deuincire.

E 5. fa. 1. lin. 3. à fine, pro utrunq̃, le. utrinq̃.

E 5. fa. 2. lin. 11. le. mola.





VITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO M. D. LXIIII.



42 ⁸/₁₄

(x220 1466)

TA → OL




inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
								
								



A
VM,
NENT
M V L A
sum habent
, collectæ
de,
LERO,
Stetini

